6
13-D
5

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
10 I
50

Bibliotheca
i Coll. Rom.
Societ. Jesu

6-11-D-56

Google

Digitized by Google

VITÆ

ILLVSTRIVM MEDICORVM

Qui toto orbe, ad hæc vſque tempora floruerunt,

Authore

PETRO CASTELLANO,

In Academiâ Louanienſi Græcarum Literarum Profeſſore.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ANTVERPIÆ,

Apud Guilielmum à Tongris,

Sub Signo Gryphi,

CIↃ. IↃC. XVII.

Ampliſs. atque excellentiſs.

VIRO

FRANCISCO PAZ,

Regis Hiſpaniarum, & S.S. Belgij Principum

ARCHIATRO

L. M. D. C. Q.

PETRVS CASTELLANVS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ALCIBIADES in convivio Platonis idem vſuvenire ſibi refert, quod à viperà morſi patiuntur. vt enim hi morbum ſuum nemini manifeſtant, niſi iis, qui eodem affectu laborant, quod ſe apud gnaros mali, quidquid agant, aut loquantur, facilè veniam conſecu-

turos putent. Ita ſe Philoſophandi ſtudio, veluti quodam furore correptum, omnia facere, quò penitus in familiaritatem Socratis intraret, qui Sapientiam de cælo devocatam, inter homines collocaſſe videbatur. At VIRI iſti, quorum memoriam gratâ nunc prædicatione prorogare, atque extendere conatus ſum, Epidaurij Serpentis morſu afflati, quem conſectentur, aut cui ſe adiungant potiùs, quàm Tibi, VIR EXCELLENTISSIME, quem eiuſdem affectus non affinem modo, ſed omnium, qui eo afficiuntur, Principem agnoſcimus? Nec verò ſollicitus eſſe debui quo vultu exciperentur: Sciebam enim reie-

reiectas eorum non iri VITAS, quorum monumenta libenter, & aſſiduè verſare manu ſolitus es, quoties ab OPTIMO PRINCIPE tempus vendicare Tibi licet. Hunc ad finem Bibliotheca maximis ſumptibus inſtructa, vt cùm officij tui munus expleveris, ad eos recurras, quorum magiſterio ad ampliſſimos dignitatis gradus profeciſti. Neque enim ignaviâ, aut otio, tanta, & tàm præclara ſummorum Principum iudicia promeruiſti. Dum Te REGVM MAXIMVS interioris admiſſionis Medicum adſcivit, & Exercituum ſuorum valetudini præfecit; Dū Te OPTIMI PRINCIPES, (non enim minùs iuſtis de cauſ-

 ſis,

ſis, quàm olim Traiano S.P.Q.R. Hoc nunc OPTIMI cognomen Belgarum Principibus adjicimus) Archiatrum ſummâ cum fiduciâ probarunt; quantùm Intelligentiâ, Doctrinâ, Fide, ac morum Sanctitate præſtares, graviſſimo teſtimonio declararunt. Huic munificẽtiam adiecerunt, quantam aliorum improba vota nec ſperare queant. Eâ tamen frueris citra invidiam, quia mereris: Adeò, contra veteris dicti ſententiam, *rationem tuæ felicitatis reddere potes*. Quin immò rationem præmiorum aliam habet affectus Belgarum. Nam quâ ratiocinandi formulâ Themiſtocles Athenienſibus imperare ſe colligebat; eâdem

eàdem illi præſentem ſeculi feli-
citatem, poſt DEVM OPT. MAX.
ſe Tibi debere fatentur. Quoties
ergo pro incolumitate P.P. vota
ſuſcipiunt, toties induſtriam
tuam, toties fidem æſtimare co-
guntur: & quantùm quiſque P.P.
amat, tantùm mereri Te cenſet.
Non minor eſt in P.P. ſuos Bel-
garum amor, quàm in Auguſtum
P.R. Nec pluris hic Antoniũ Mu-
ſam, quàm nos PAZIVM facimus.
At famam, non imaginibus, aut
ſtatuis, quas plerumque obſcurat
oblivio, ſed favore hominum
prorogamus; quo non aurum
meliùs, vel argentum bene meri-
torum gloriam exprimat, teneat-
que. Quod quidem prolixè Tibi,

 cumu-

cumulateque contigit, cuius gratiſſima memoria, cum ipsâ PRINCIPUM charitate pariter in omniũ civium animo ſedebit. Et publici quidem affectus ſtricturas, tenuiter à me deductas modeſtia Tua feret; quàm onerare aliarum virtutum commemoratione nolui. Hoc ſervare tantùm volui, ne Te, in excelſo dignitatis, & eruditionis faſtigio poſitum, ſine debitâ ſignificatione venerationis adirem. Itaq; P. P. MEDICO, Principum Medicorum VITAS, in primo cõgreſſu offerendas ritè cenſui, morem imitatus veterum, qui gratiores quibuſdam numinibus victimas exiſtimarunt, quæ per ſimilitudinem immolabantur.

AD LECTOREM.

CANDIDE LECTOR. *vetus mos eſt inter legendum excerpere. Summi id olim viri fecerunt. Ego ſanè lectionem mihi periiſſe reor, ex quâ nihil aduerſaria creverunt. Sic dùm medicinæ authores evolvo, & rerum argumenta meis vſibus in locos digero, nę Præceptores quidem negligo. Quin immò præcipua mihi cura propriis capitibus exactè ſingulorum opiniones annotare; & ne ſim ingratus, eorum nomina, per quos profeci, cum aliquâ prædicatione laudum celebrare ſoleo. Hinc mihi natum, quod vides, de* VITIS *illuſtrium Medicorum opuſculum. Et*

quidem per omnes medicinæ partes iturus, aliis ſuppreſſis, id primò in lucem exire paſſus ſum, quod anxiâ novem annorum expolitione non ſit opus, vbi tantùm in facto res conſiſtit. Scio multos à me præteritos, & eos quidem eximios: ſed quid faciam? Cum Sophocle,

Περὶ μὲν οὐ φρονῶ, σιγᾷν φιλῶ.

Non omnia poſſumus omnes: Hanc ego pro modulo meo partem curavi; Alius aliam. Si quis ſymbolam conferre voluerit, Modimperator eſſe non recuſo. Vale, & conatibus noſtris fave.

MEDI-

MEDICI
PRO DIIS HABITI.

RELATVRVS authores medendi principes, ea quæ iactationem habent in fabulis Poëtarum omnino miſſa facerem, niſi principia fingendi plurimum è vero traherent, atque ideò pleraque homines excogitaſſent, vt artis originem cælo dicarent, Inuentoréſq; Dijs adſignarent; quod poſtea detracto figmentorum involucro Philoſophi non ambiguè confirmarunt. vnde Imperator: τὴν ἰατρικὴν ἐπιστήμην σωτηριώδη τοῖς ἀνθρώποις τυγχάνειν τὸ ἐναργὲς τῆς χρείας μαρτυρεῖ. διὸ καὶ ταύτην ἐξ οὐρανοῦ πεφυτηκέναι δικαίως φιλοσόφων παῖδες κηρύττουσι *Artem medicam hominibus ſalutarem eſſe vſus demonſtrat: Quare eam cælo delapſam non immeritò Philoſophi prædicant.* Primùm igitur eos memorabo, qui infirmitatis præſidium cœlo demiſſum laborioſæ mortalitati communicaſſe feruntur; aut quos vetuſtiſſimo referendi benemerentibus gratiam ritu mortalitas numinibus adſcripſit.

Gen-

Gentium conſenſus in primis APOLLINEM celebrat: & ab eo, vt canit Poëta:

Ἰατροὶ δεδάασιν ἀνάβλησιν θανάτοιο.

Et medici didicêre moras innectere morti.

Quamobrem ex hominum nata meritis illi nomina tribuerunt, & Elæi Ἀκήσιον, Athenienſes Ἀλεξικακὸν appellarunt.

Græcorum APOLLO, SERAPIS eſt Aegyptiorum: Atque hunc quoque medicinam feciſſe, doctiſſimus vndequaque Varrò non obſcurè ſignificat, dum ait; *ego medicinâ ex Serapi vtor.*

Tantus in arte medendi CHIRON, vt Inuentoris quoque nomen meruerit: quod tamen ad Herbariam plerique reſtringunt; vt Plinius libro VII. capite LVI. Euſtathius ad Iliad. I. Χείρωνα γάρ φασι τρωθέντα ποτὲ τὴν χεῖρα, τὴν διὰ βοτανῶν ἐπινοῆσαι ἰατρικήν. *Chironem aiunt in manu vulneratum herbariam excogitaſſe medicinam.* Genus etiam Panaces ab eo repertum Centaurium cognominatur, quod Nicander vocat

Κενταύρου κρονίδαο φερώνυμον.

meminerunt Theophraſtus libro IX. cap. XII. Dioſcorides libro III. cap. LII. nec aliam ob cauſam Magnetes Chironi primitias herbarum obtulerunt, vt author eſt Plutarchus

tarchus libro I. ſympoſ: quæſtione I. Communis Heroum doctor fuit, vt Achillis, Herculis, & Iaſonis; & hinc ob inſignem artis peritiam nomen eſſe inditum παρὰ τὴν ἴασιν tradit Scholiaſtes Apollonij ad librum I. Argonaut. Quin & ipſe Apollo, qui apud Poëtam gloriatur,

Inuentum medicina meum eſt, opifexque per orbem
Dicor & herbarum ſubiecta potentia nobis,

filium ſuum Aeſculapium Chironis informari diſciplinâ voluit; Teſtis eſt Pindarus ode III. Nemeorum; Ouidius II. Metamorphoſeon, Apollodorus libro III. Bibliothecæ.

AESCVLAPIVS Phœbo genitus, diſciplinâ Chironis inſtructus, artem adhuc rudem ita excoluit, vt vulgò repertor eius haberetur. Plutarchus libro VIII ſympoſ. quæſtione XIIII, τοὺς ἰατροὺς Ἀσκλήπιον ἔχοντας ἴσμεν ἡγεμόνα. *Medicos Æſculapium ſcimus habere ducem.* Præterea *Medicinarum demonſtrator* vocatur à Tertulliano, Apologetici capite XXIII: ab Arnobio libro I. *Medicaminum repertor.* Sanè Pindarus ab eximiâ curandi peritiâ celebrat ode III. Pythionic. Ἀσκλήπιον ἥρωα παντοδαπᾶν ἀλκτῆρα νούσων, *Æſculapium*

Heroem

Heroem omnigenorum propulſatorem morborum. Quin & mortuos in vitam revocare iactabatur: vndè Serenus

Tuq; potens artis, reduces qui tradere vitas,
Noſti atq; in cælum manes reuocare ſepultos.

Quare ictum fulmine tradunt ne fatalis ordo rerum interrumperetur. Plato tamen lib. III. de Repub. ideo fulminatum refert, quod diuitem malum morti iam vicinum ſanitati reſtituiſſet. Sed, neque vitâ functum veneratio defecit; quam auxerunt nocturnæ peruigilationes, quibus eum ægri ſucceſſu quandoque non infelici, coluerunt. Cuius rei teſtes extant tabulæ in Antiquis Inſcriptionibus paginâ LXX. Tamen Arnobius libro I. contra gentes, ſuperſtitionem, ab irrito votorum euentu, vanitatis arguit. *Quot*, inquit, *millia vultis à nobis debilium vobis oſtendi! quot tabificis affectos morbis, nullam omnino retuliſſe medicinam, cum per omnia ſupplices irent templa? cùm Deorum ante ora proſtrati limina ipſa contererent oſculis? Cùm Æſculapium ipſum datorem, vt prædicant ſanitatis, quoad illis ſuperfuit vita, & precibus fatigarent, & miſerrimis votis inuitarent.*

BACCHVM medicis adnumerat Plutarchus libro III. ſympos: quæſt. I.

Merito

Merito Deorum ſeriem excipit PAEON, Deorum ipſe Medicus: quo nominis honore Lucianus eum afficit in Tragopodagrâ:

Παύτων Ιατρὸς τ̃ ἐν ὀυρανῷ θεῶν,

Omnium medicus in cælo Deorum.

Occaſionem præbuit Homerus Iliados V. vbi inter alios mortali manu vulneratos, Plutonem refert Herculis ſagittâ humeros ſaucium, à Ioue remedium poſtulaſſe, & Pæonis auxilio conualuiſſe:

Τῷ δ' ἐπὶ Παιήων ὀδυνήφατα φάρμακα πάσσων
Ηκέσατο.

Huic Pæon dolores mitigantia Pharmaca inſpergens,

Sanauit.

Quo loco notat Euſtathius aliquos exiſtimaſſe hunc eundem eſſe cum Apolline, cui nomen ἐκ τ̃ παίειν, quod eſt, θεραπεύειν, ſiue, *curare*, ſit impoſitum.

Aeſculapium non immeritò Comicus ἐυπαιδα nuncupauit; Cui Liberi, MACHAON, & PODALEIRIVS, paternæ virtutis hæredes extiterunt. Nec dedecori natæ fuerunt, Iaſo, Panacera, Hygeia; quæ vel ſolâ nominum fauſtitate meruerunt, vt in Hippocratis ſacramento memorarentur. At Machaonis, & Podaleirij fama verſibus Homeri celebrata

lebrata magis in memoriam poſteritatis iuit. Et hactenus quidem medendi ſcientia ſimplex, nec in vllas diſtracta partes vnius operâ tractabatur. Secuêre fratres, & portionibus eam exercere cœperunt, quaſi Charitas ſtudiorum æmulatione dirimi potuiſſet. Et quidem Machaon partem eam excoluit, quæ manu medetur, & bello Troiano non mediocrem opem commilitionibus ſuis attulit. Nec aliud in eo prædicat Homerus, quàm quod aptè poſſet

Ἰοὺς τ' ἐκταμέειν, ἐπί τ' ἤπια φάρμακα
πάσσειν.

Ducere tela manu, & medicamina ſpargere
plagis.

Verum Podaleirius abditarum, & morbos continentium cauſarum notitiam profeſſus, eius medicinæ principia condidit, quam deinde ſequens ætas rationalem appellauit. Argumento ſunt verſus apud Euſtathium in locum Homeri modo laudatum:

ἕτερον δ' ἑτέρου κύδιον ἔθηκεν.
Τῷ μὲν κουφοτέρας χεῖρας πόρεν, ἔκ τε βέλεμνα
Σαρκὸς ἑλεῖν, τμῆξαί τε, καὶ ἕλκεα πάντ' ἀκέσα-
σθαι.
Τῷ δ' ἄρ' ἀκριβέα πάντα ἐνὶ στήθεσσιν ἔθηκεν,
Ἀσκοπά τε γνῶναι, καὶ ἐπαλθέ' οἴσασθαι.

Aliumq;

Aliumq́; alio præcellere iuſſit.
Huic agiles dedit eſſe manus; ſi quando ſagittas
Extrahere hærentes opus, aut exſcindere ferro,
Altaq́; vel peterent medicatum vulnera ſuccum.
Aſt alius melior morborum arcana, ſagaci
Indagare animo, placidamq́; afferre medelam.

Quamuis in iſta narrandi feſtinatione, ſupervacua fabuliſque vicina præterire conſtituerim; nequeo tamen temperare mihi, quin hiſtoriam à Stephano deſcriptam, quòd Podalirij gloriam plurimùm illuſtret, hîc quoque lectoribus exhibeam. τὸν Ποδαλείριον ἐκπέσοντα εἰς Καρίαν σωθῆναι ὑπό τινος αἰγοβοσκοῦ, καὶ ἀχθῆναι πρὸς Δαμαιθὸν Καρίας βασιλέα, οὗ τὴν θυγατέρα Σύρναν πεσοῦσαν ἀπὸ τοῦ τέγους, ἐπ' αὐτοῦ θεραπευθῆναι φασὶ δὲ οὕτως. ἀθυμοῦντος τοῦ Δαμαιθοῦ, τὸν Ποδαλείριον ἀφ' ἑκατέρου τῶν βραχιόνων αἷμα ἀφέλοντα σῶσαι τὴν παῖδα. τὸν δὲ θαυμάσαντα συνοικίσαι αὐτῷ τὴν παῖδα, καὶ δοῦναι τὴν χερρόνησον, ἐν ᾗ δύο πόλεις κτίσαντα, τὴν μὲν ἀπὸ γυναικὸς, Σύρναν, τὴν δὲ ἑτέραν ἀπὸ τοῦ σώσαντος νομέως. *Podalirium ferunt in Cariam eiectum, & à Paſtore caprarum ſeruatum, perductumq́; ad Regem Cariæ Damæthum, eius*

 filiam

filiam Syrnam è caſu ægram ſanaſſe: aiunt in hunc modum: Anxio Dametho Podaleirum ex vtroque ſanguinem eduxiſſe, filiamq́; ſeruaſſe, Regem verò admiratum filiam ei elocaſſe, & dediſſe Cherſoneſum: in quâ duas condidit ciuitates: alteram ab vxoris nomine Syrnam, alteram à Paſtore qui ſaluarat. Machaoni ſucceſſit filius NICOMACHVS, de quo Suidas: Νικόμαχος, ἰατρὸς, καὶ αὐτὸς Σταγειρίτης; Μαχάονος τοῦ Ἀσκληπιοῦ υἱός· ἐξ οὗ κατήγετο Νικόμαχος ὁ πατὴρ Ἀριστοτέλους τοῦ φιλοσόφου. *Nicomachus medicus, & ipſe Stagirita; Machaonis Æſculapij filius: ex quo progenitus eſt Nicomachus Pater Ariſtotelis Philoſophi.* His authoribus ſalutaris nobis iſta profeſſio increuit: Qui tamen in vulgus eam promiſcuè non extulerunt; ſed velut in cenſu reponentes ad liberos hæreditario iure tranſmiſerunt; quaſi artis diuinæ vſum hominibus aliter impertiri nefas eſſet. hic in nobiliſſimâ Aſclepiadarum familiâ medendi ſcientia diutiſſimè permanſit; eorumq́; propagata ſtudio, Græciam quidem vniuerſam, ſed præcipuè Con, Guidon, Crotona, & Cyrænas illuſtrauit. Facto igitur ab his initio ſeriem narrationis ad noſtra tempora deducam, commemorandi officium rependens eminentiſſimis ingenijs,

quæ

quæ tanto literarum ſtudio diſciplinam agitarunt, vt ad eius abſolutionem perfectionemque modò nihil deſiderari videatur. Sed neque prætereundi erunt, ſi qui facto nobiles, aut dignitate, ſeculorum memoriam meruerunt. Heroes tamen Reges, atq; Principes, vt Herculem, Iaſona, Achillem, Hermetem, Coroaſtram, Alexandrum Magnum, alioſque non recenſebo; quos etſi ad vſum, ac diſciplinam artis fuiſſe peritiſſimos ſciamus; nullo tamen illius documento claruerunt: præter vnum fortè Mithridatem Ponti Regem, omnium ante ſe genitorum ſine controuerſiâ diligentiſſimum, qui non minus vitæ, quam Reipub. regendæ gnarus, celebratiſſimas Antidoti compoſitiones inuenit, ex quibus vnum etiam nomen eius retinuit. de quo Plinius in hunc modum libro x x v. cap. i. i. *Is ergo in reliqua ingenij magnitudine medicinæ peculiariter curioſus, ab hominibus ſubiectis, qui fuêre pars magna terrarum, ſingula exquirens, ſcrinium commentationum ſuarum, & exemplaria, effectusq́. in arcanis ſuis reliquit.* Reges etiam excipio Barbarorum, inter quos non pauci medicinam inuentis ſuis excoluerunt; vt Rex Medorum Sabor, cui multas medicamentorum

 formas

formas apud Meſuen acceptas referre debemus : & Arabum Euax , qui de ſimplicium effectibus ad Neronem ſcripſit. Nec verò eſt, quod aliquis miretur in hoc medicorum ordine cenſeri nonnullos, qui vulgo in Philoſophis habentur. Primò namque medendi ſcientia, vt eleganter ait Cornelius Celſus, ſapientiæ pars habebatur, vt & morborum curatio, & rerum naturæ contemplatio ſub ijſdem authoribus nata ſit. vnde pulcherrimum Democriti dictum : Ιστρίην σοφίης δοκέω Ιητρικῆς ἀδελφὴν, ϗ συνοικόν, *notitiam ſapientiæ, puto medicinæ ſororem, atque familiarem.* Quod Tertullianus etiam vſurpauit in lib. de animâ, *Medicinam ſororem Philoſophiæ* nuncupans. Verùm diſciplinas vt naturâ, iunctas ſic officio quoq; copulatas inertia diſtraxit, cui poſtea difficultatis patrocinia prætexuerunt. Sed iam ad propoſitum reuertamur.

DEMO-

DEMOCEDES.

DEMOCEDES natione Crotoniata patrem habuit Calliphontem, nimiæ ſeueritatis hominem: Cuius imperia cum ferre non poſſet, Aeginam profugit, ibique tanta famæ celebritate medicinam exercuit, vt illum Aeginetæ apud ſe talento, id eſt ſex millibus aureorum, trecentis, & ſeptuaginta quinque retinuerint. Athenienſes deinde centum minas obtulerunt: in ſingulas autem minas aurei centum, & ſex, & quadrans numeratur. Tandem ad Polycratem Samiorum Tyrannum ſe contulit affectus honorario duorum talentorum, id eſt duodecim aureorum millibus, ſeptingentis, & quinquaginta. Ad inuidiam felix, ſi fortuna malignitatis ſuæ oblita, nunquam ceſſante indulgentiâ conſtanterque propitiâ Tyrannum ad vltimum fati tempus perduxiſſet. Sed quem proſpero flatu in altum extulerat, repente deſtitutum, profundo cladium miſerabiliter immerſit. Democedem quoque Tyranni caſus inuoluit. Comprehenſum enim Orætes Darij Re-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

gis præfectus cum reliquis captiuis in ſeruitutem abduxit. Verùm ſcientiæ famâ non modo libertatem, ſed etiam honores aſſecutus, inſigni documento fuit in opes animi nihil licere caſuum humanorum varietati. Cum enim Rex inter venandum ex equo deſiliens pedem luxaſſet, fruſtra tentantibus auxilium medicis, Democedem iam inter captiuos agnitum, ſed ne hoſtem Græciæ ſeruaret, artem ſtudioſè occultantem vi tormentorum ad ſanandi curam adegerunt. Quod cùm ex ſententiâ ſucceſſiſſet, eum Darius opibus auctum, & fortunis locupletatum in Regiâ manere iuſſit, ſibique, vt Herodoti verbo vtar, ὁμοτράπεζον eſſe voluit. Id autem quanti fuerit, vel ex eo liceat æſtimare, quòd ipſi quoque regni Proceres à conſpectu Regis arceantur, nec vnquam niſi interpoſito velo menſæ Regiæ adhibeantur. Equidem apud Perſas non potuiſſe liberaliùs, aut honorificentiùs haberi, pluribus docere mihi promptum eſt, ſi propoſiti ratio pateretur. Sed talium curioſos, ad Briſſonij librum remitto, quem de regio Perſarum principatu conſcripſit. Beatus igitur & conditione regni Proceribus invidendâ viuere poterat, ſi Græciâ carere voluiſſet. Sed quemadmo-

admodum Vlyſſes immortalitati, quam Calypſo pollicebatur, Ithacæ fumum anteponere non dubitauit: Ita Democedes amore Græciæ captus, omnes Perſarum delicias, & opes, honoresque penè regios pro nihilo duxit. Nec eum hîc fortuna deſtituit. Nam interueniente Atoſsâ Regis vxore, filiâ Cyri, quam ſerpente mamillarum vlcere liberarat, in Græciam, quò Rex expeditionem meditabatur, velut explorator, & index cum delectis Perſarum miſſus, in Patriam iuit, & Barbaris eluſis in eâ manſit, vxoremq; duxit filiam Milonis illius, qui fortitudinis famâ, non apud Græcos modò, ſed Perſas etiam, Barbaroſque omnes ingentem ſibi gloriam pepererat, vltra nihil comperti habemus: ſed iſta latiùs Herodotus libro III. exequitur.

MELAMPVS.

MELAMPVS ad curandum Præti filias valetudinis vitio furentes, & Melancholicas è Pylo vocatus, id ſe facturum recepit, ſi merces dimidiũ regni daretur. Immanitate præmij deterrente, medicina differtur, & malum ingraueſcit. Cogente demum ne-

ceſſitate conditio placet. Sed Melampodi iam pretioſiùs curare viſum; & ſupra mercedem ſibi pactam, fratri quoq; ſuo Bianti tertiam regni partem depoſcit, & impetrat. Author eſt Herodotus libro IX. Paulò aliter Seruius ad hunc verſum Eclogæ VI:

Prætidos implerunt falſis mugitibus agros.

Has Melampus, inquit, *Amythaonis filius pactâ mercede, vt Cyrianaſſam uxorem cum parte regni acciperet, placata Iunone, infecto fonte, vbi ſolitæ erant bibere, purgauit, & in priſtinum ſenſum reſtituit:* Virgilius etiam libro III. Georgic. vt excellentiſſimum Medicum adducit, & cum Chyrone componit.

Ceſſêre magiſtri

Phillyrides Chyron Amythaoniusq; Melampus.

quo loco notat Seruius tributum illi nomen Καθαρτȣ̃, id eſt, *Purgatoris*. Ab hoc, vt tradit Plinius libro XX. cap. V. vnum Hellebori genus Melampodion appellatur.

HIPPOCRATES.

HIPPOCRATES inſulâ Co in primis clarâ, & validâ, & Aeſculapio dicatâ ortus, parentes ſummo ſplendore generis illuſtres habuit. Pater Heraclides Aſclepiadarum,

rum, Mater Praxithea Heraclidarum ſtirpe geniti. Et Hippocrateś vndevigeſimus ab Aeſculapio, vigeſimus ab Hercule numeratur. Sed ex epiſtolâ Pæti ad Regem Perſarum Artaxerxem in exemplum pauca ſubjici poſſunt. Γίνεται μὲν θεῖος Ιπποκράτης ἔνατος μὲν ἀπὸ Κρισάμιδος τοῦ βασιλέως, ὀκτωκαιδέκατος δὲ ἀπὸ Ἀσκληπιοῦ. εἰκοστὸς δὲ ἀπὸ Διός. Μητρὸς δὲ Πραξιθέας τῆς Φαιναρέτης ἐκ τῆς οἰκίας τῶν Ηρακλειδῶν. ὥστε κατ' ἀμφότερα τὰ σπέρματα θεῶν ἀπογονός ἐστιν ὁ θεῖος Ιπποκράτης, πρὸς μὲν πατρὸς Ἀσκληπιαδῶν ὤν, πρὸς δὲ μητρὸς Ηρακλείδης. *Ortu igitur diuinus eſt Hippocrates: Nonus quidem à Criſamide Rege, ab Æſculapio decimus octauus, à Ioue vigeſimus. Matre verò Praxitheâ Phæuaretes filiâ, ex Heraclidarum familiâ. Quare vtrimque dijs oriundus diuinus Hippocrates: & ex Patre quidem Aſclepiadarum familiam attingens ex matre verò Heraclidarum.* Auus Hippocrates; proauus Gnoſidicus, quem librum ſcripſiſſe de membris, & fracturis, & articulis, ex quorundam ſententiâ Galenus memoriæ prodidit *commentario* 1. *in librum de victus ratione in acutis.* Abauus autem Nebrus, teſte Stephano, clariſſimus Aſclepiadarum. Nam cum Delphos à Criſæis ſubactos Amphictyones in libertatem vendi-

care fruſtra conati, peſtilentiâ exercitum affligente, opem à Deo poſcendam cenſuiſſent, Pythia bellum gerere iuſſit victoriæ certos, ſi Con profecti, filium Cerui cum Auro properantes in auxilium adducerent. Relato per legatos oraculo, Nebrus ad ſe pertinere iudicauit. Hinnulum enim Græcis appellari Νέϐρον: eſſe filium ſibi nomine Chryſum; & aurum eo vocabulo ſignificari. Igitur hanc ſortis interpretationem ſecutus, factionem Criſæorum extinxit, & acerbiſſimæ ſeruitutis iugum à Ceruicibus Amphictyonum repulit. Hi verò Delphis templum, Apollinis poſtea vaticinationibus inclytum condiderunt, & vt pro tantis eorum in rempub. meritis honores Nebro haberentur, gratiæq; referrentur, rei geſtæ ſeriem columnæ inſcriptam omnium ſeculorum memoriæ conſecrarunt. Cæterùm Hippocrates natus eſt anno primo Olympiadis octogeſimæ, ſub principatu Abriadæ, ſexto & vigeſimo menſis Agriani die, quem, ad Sorani vſque tempora, Coi ſolenni cæremoniâ coluerunt: Anno autem V. C. ducenteſimo, tertio, & nonageſimo, Coſſ. P. volumnio Auentino, & Seruio Sulpitio Camerino. Paternæ diſciplinæ primùm lege formatus, ad auum tranſijt,

ſijt, in cuius ſinu indulgentiaque educatus, per omnem honeſtarum artium cultum Adoleſcentiam tranſegit. Deinde Herodicum, quem Διαιτητικῆς inuentorem eſſe refert Euſtathius ad Iliados I. & Gorgiam audiuit. Alij quoque operam dediſſe Prodico tradiderunt. Sed Plinius libro XXIX. cap. I. Prodicum Selymbriæ natum, & Iatralipticeſ authorem Hippocratis fuiſſe diſcipulum affirmat. Alij Præceptore Democrito vſum exiſtimant, & eius etiam hortatu, quamuis è genere Deorum eſſet in ſcribendo linguam Ionicam vſurpaſſe, memorat Aelianus libro IIII. variæ Hiſtoriæ, capite XX. Quod illis aſſentiri non patiuntur ipſius Hippocratis epiſtolæ, ad Demagetum, & Crateuam, in quibus eum Democritus non vt diſcipulum, aut antea viſum; ſed velut hoſpitem, & doctrinæ tantummodo fama notum excepiſſe videtur. ἡ τῶν Ἀσκληπιαδῶν εὐγένεια (inquit Democritus) πολύ τε σοῦ τὸ κλέος τῆς ἐν Ἰατρικῇ σοφίης πεφοίτηκεν, καὶ ἐς ἡμέας ἀφῖκται). *Aſclepiadarum nobilitas, tuæ in arte medicâ ſapientiæ gloria crebris admodum hominum ſermonibus ad nos pervenit.* Sed vt hæc longinquitate vetuſtatis obſcurata in medio relinquamus, certè primus medendi præcepta condi-

condidit, quod non tam curæ Doctorum, quam Parentum traditioni, propriæq; ipſius induſtriæ, atque ſtudio imputamus. Quippe moris erat, vt in templo Aeſculapij, quod apud Coos erat celebratiſſimum, ægri profiterentur, quo remedio convaluiſſent. Itaque Hippocrates eruditione parentum imbutus, ex illis tot ſæculorum experimentis artem inſtituit. Idque iam olim communi omnium opinione vulgatum animaduertimus ex Strabonis libro XIIII: Φασὶ δ' Ἱπποκράτην μάλιστα ἐκ τῶν ἀνακειμένων θεραπειῶν ἐνταῦθα γυμνάσασθαι τὰ περὶ τὰς διαίτας. *Aiunt Hippocratem maxime ex dedicatis in Apollinis fano curationibus exercuiſſe ea, quæ ad victus rationem ſpectant.* Straboni adſtipulatur Plinius: *Is cum fuiſſet mos, liberatos morbis ſcribere in templo eius Dei, quid auxiliatum eſſet, vt poſtea ſimilitudo proficeret, exſcripſiſſe ea traditur.* Patre vitâ functo Patriam reliquit; non vt Calumniatus eſt Andreas, quod Guidiorum Bibliothecam incendiſſet; ſed vt multorum prouidus vrbes, & mores hominum inſpiceret, latumque per orbem experimenta ſcientiæ ageret. ſic Pythagoram, Platonem, alioſque Philoſophos in remotiſſimas oras, velut ad quendam rerum optimarum mercatum profe-

profectos fuiſſe legimus. Igitur, vbi ſtatum in peregrinatione tempus abſumpſiſſet, viſa per ſomnum ſpecies in Theſſaliâ domicilium habere iuſſit. Inde crebreſcente gloriâ nominis ad Perdiccam Macedoniæ Regem accitur. Is occulto corporis vitio tabeſcere putabatur. Sed Hippocrates explorato habitu morbum animi deprehendit. Quippe Rex paternæ pellicis amore flagrans tegendo languorem alebat. Ergò adhibitis ægræ menti præſidijs conualuit. Peſtilentiâ Pæonas, & Illyrios devaſtante, Reges eorum ab Hippocrate, non ſecus atque à Pythio Apolline per legatos auxilium petiverunt. Ille autem cognito cæli ſtatu, ventorumq; naturâ, Græciæ luem imminere præſagijt, omiſſiſque Barbaris omne ſtudium ad Patriæ ſalutem convertit. Itaque in Macedoniam, & Helleſpontum ſibi Regum cognatione charas, filios Theſſalum, & Draconem; Polybium generum & diſcipulos ad auxiliandum alias circa vrbes demiſit: ſibique Theſſaliam, & Regiones Atticæ retinens, quaſi diſpoſitis in ſtationem ordinibus, contagionem latè manantem à finibus Græciæ prohibuerunt. Quod ob meritum Athenienſes in Theatro illum aureâ coronâ

dona-

donarunt, & honores quos Herculi decre-
uerunt. Cuius decreti ſententia temporum
iniurias euaſit; vt vel ex eo liceat æſtimare,
quantum viri apud omnes admiratio va-
luerit.

ΔΟΓΜΑ ΑΘΗΝΑΙΩΝ.

ΕΔΟΞΕ τῇ βουλῇ, καὶ τῷ δήμῳ τῶν Ἀθηναίων.
Ἐπειδὴ Ἱπποκράτης Κῷος ἰατρὸς ὑπάρχων, καὶ
γεγονὼς ἀπὸ Ἀσκληπιοῦ, μεγάλην εὔνοιαν μετὰ σω-
τηρίας ἐνδέδεικται τοῖς Ἕλλησι. ὅτε καὶ λοιμοῦ ἰόντος
ἀπὸ τῶν Βαρβάρων ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα, κατὰ τόπους ἀπο-
στείλας τοὺς ἑαυτοῦ μαθητὰς παρήγγειλε τίσι χρὴ
θεραπείαις χρωμένους ἀσφαλῶς διαφυλάξασθαι
τὸν ἐπιόντα λοιμόν, ὅπως τε ἰητρικὴ δοθεῖσα τοῖς
Ἕλλησι ἀσφαλῶς σώζει τοὺς κάμνοντας αὐτῶν.
ἐξέδωκε δὲ καὶ συγγράψας ἀκριβῶς τὰ περὶ τῆς ἰητρι-
κῆς τέχνης, πολλοὺς βουλόμενος τοὺς σώζοντας
ὑπάρχειν ἰατρούς. τοῦ τε Περσῶν βασιλέως μεταπε-
μπομένου αὐτὸν ἐπὶ τιμαῖς ταῖς κατ' αὐτὸν ἴσαις, καὶ
δώροις, ἐφ' οἷς ἂν αὐτὸς Ἱπποκράτης αἱρῆται, ὑπε-
ρεῖδε τὰς ὑποσχέσεις τοῦ Βαρβάρου, ὅτι πολέμιος,
καὶ κοινὸς ἐχθρὸς ὑπῆρχε τοῖς Ἕλλησι. Ὅπως οὖν
ὁ δῆμος Ἀθηναίων φαίνηται προαιρούμενος τὰ
χρήσιμα διὰ παντὸς ὑπὲρ τῶν Ἑλλήνων, καὶ ἵνα
χάριν ἀποδῷ πρέπουσαν Ἱπποκράτει ὑπὲρ τῶν εὐερ-
γετη-

χετημάτων, δεδόκηται τῷ δήμῳ μυῆσαι αὐτὸν τὰ μυστήρια τὰ μεγάλα δημοσίᾳ, καθάπερ Ηρακλέα τὸν Διός. καὶ στεφανῶσαι αὐτὸν στεφάνῳ χρυσῷ ἀπὸ χρυσῶν χιλίων. ἀναγορεῦσαί τε τὸν στέφανον Παναθηναίοις τοῖς μεγάλοις ἐν τῷ ἀγῶνι, τῷ γυμνικῷ. καὶ ἐξεῖναι πᾶσι Κώων παισὶν ἐφηβεύειν ἐν Αθήναις, καθάπερ παισὶν Αθηναίων. ἐπειδήπερ ἡ πατρὶς αὐτῶν ἄνδρα τοιοῦτον ἐγέννησεν. εἶναι δὲ Ιπποκράτει καὶ πολιτείαν, καὶ σίτησιν ἐν πρυτανείῳ διὰ βίου. *S. P. Q. Athenienſis ita cenſuit. Quandoquidem Hippocrates Cous Medicus, ab Æſculapio oriundus, ſummam benevolentiam in ſeruandis Græcis oſtendit, cùm peſte à Barbaris in Græciam pervadente, demiſsis per loca ſuis diſcipulis medelas indicauit, quibus qui vterentur, inſtantem peſtem ſecurè effugere poſſent, quóq; modo medicinâ Græcis traditâ, eos laborantes tutò ſeruaret. Quin & exactè à ſe ſcripta de re medicâ in publicum emiſit, cùm multos eſſe cuperet Medicos, qui ſeruare poſſent. Perſarum etiam Regem ipſum ad honores ſuis Optimatibus æquales, & munera, quæ ipſe Hippocrates optaret, accerſente, Barbari pollicitationes, quod hoſtis, & communis Græcorum inimicus eſſet, contempſit. vt igitur conſtet Populum Athenienſem Græcis ſemper vtiliter conſuluiſſe, vtque dignam pro meritis Hippocrati gratiam referat, decreuit Populus,*

pulus, vt is magnis myſterijs, non ſecùs ac Hercules Iouis filius, publicè initiaretur; & coronâ aureâ mille aureorum coronaretur; Coronam ipſam in magnorum Panathenæorum certamine præco proclamaret. Et omnibus Coorum liberis liceat, non ſecus atque Athenienſium, Athenis pubertatem agere, quod eorum Patria eiuſmodi virum procrearit Hippocrates verò vt ciuitatis iure, & victu in Prytanio toto vitæ tempore donetur. Sed præter hos honores eius etiam interceſſioni tribuerunt, vt à bello, quod Cois inferre parabant, extemplò deſiſterent. Et digna fauore cenſeri debebat eius in patriam pietas, qui Græciam veluti communem patriam amplexus, Barbarorum inuitamenta largè munifica ſpreuit, ne hoſtem ſeruaſſe videretur. Regum Rex Artaxerxes miſſis ad Hyſtanen Helleſponti præfectum mandatis, pollicitatione, quam potuit, honorificentiſsimâ pellicere tentauit: Διὸς, inquit, χρυσὸν ὁκόσον ἂν βούλεται, καὶ τὰ ἄλλα χύδην, ὧν σπανίζει, καὶ πέμπε ἐς ἡμέας· ἔσται γὰρ ἰσότιμος Περσέων τοῖς ἀρίστοις. *Aurum ipſi da quantum voluerit, aliaque effuſè quibus opus habet, & ad nos mitte: erit enim in eodem cum Perſarum Optimatibus honore.* Sed Hippocrates, ne Græcis officeret, dùm Barbaros

pre-

pretioſè curat, opes, & honores aſpernatus, reſpondit: Πρὸς τὴν ἐπιστολὴν, ἣν ἔπεμψας φάμενος παρὰ βασιλέως ἀφῖχθαι, πέμπε βασιλεῖ ἃ λέγω, γράφων ὅτι τάχος. ὅτι καὶ προσφορῇ, καὶ ἐσθῆτι, καὶ οἰκήσει, καὶ πάσῃ τῇ ἐς βίον ἀρκεούσῃ οὐσίῃ χρεόμεθα. Περσέων δὲ ὄλβου, οὔ μοι θέμις ἐπαύρασθαι, οὐδὲ βαρβάρους ἄνδρας νούσων παύειν ἐχθροὺς ὑπάρχοντας Ἑλλήνων. ἔρρωσο. *Ad epiſtolam, quam miſiſti, & à Rege veniſſe aſſeris, Regi quæ reſpondeo, quàm celerrimè reſcribe. Nos victu, veſtitu, domo, omniq́ re ad vitam neceſſariâ cumulatè frui. Perſarum autem opibus vti, neque mihi æquum eſt, neque barbaros morbis liberare, cum ſint Græcorum hoſtes.* Rex vbi contemni preces ſuas vidit, ad potentiæ conatus, & minas conuerſus, eum ſibi à Cois dedi poſtulauit. Quod ſe non facturos conſtantiſſimè reſponderunt, & vel tormenta mortis acerbiſſimæ ſubire paratos, quam vt Aeſculapio Meropæ, atque Herculi opprobrio fuiſſe dicerentur. Hac nationum omnium gratiâ florens, & honoribus, ad ſupremam vſque ſenectam, eâ nominis exiſtimatione pervenit, vt nihil in vitâ charius, nihil antiquius honeſto habuiſſe videatur: ſanè ab auaritiâ, communi medicorum probro, tam alienus, vt Abderitis, de-

cem talenta, hoc eſt 63750. aureorum ad Democriti ſanationem offerentibus reſponderit: ἐᾶτε ἐλευθέρης τέχνης ἐλεύθερα καὶ τὰ ἔργα. οἱ γὰρ μισθαρνοῦντες δουλεύειν ἀναγκάζουσι τὰς ἐπιστήμας. *Sinite opera liberæ artis eſſe libera: qui mercede locant, hi ſcientias ſeruire cogunt.* Exceſſit Lariſſæ in Theſſaliâ, anno ætatis ſupra centeſimum nono, aut, vt alij volunt, quarto. Monumentum diu inſediſſe fertur examen apum; quod in ſuperſtitionem vertit; & earum melle nutrices infantum puſtulas, & oris vlcera perungere cœperunt. Scriptorum tanta authoritas, vt eius fidem perpetuâ experimentorum comprobatione firmatam etiamnum inſtar oraculi poſteritas amplectatur. Certè Galenus libro 1. de vſu partium cap. IX. Hippocratis ſententias Dei vocibus æquiparare non dubitauit; idque mortalium prope omnium admiſiſſe conſenſum author eſt Suidas. Et quis de homine Macrobium loqui putet? *Hippocrates qui tam fallere, quàm falli neſcit.* Quod de legitimis monumentis accipiendum puto? quæ cùm primùm diſperſa iactationem habuerint in vulgo, tandem principatu Adriani, Dioſcorides, & Capito in vnum redegerunt, ijſque non pauca miſcuerunt ſuppoſita, & adulterina quæ ſolo Hippo-

Hippocratis nomine ſe tuentur. At ratio medendi ex verâ doctrinâ ipſius hauſta felices adeo tulit euentus, vt elogium, quod extat libro 1. Anthologiæ verſibus antiſtrophis, mereri iure cuncti fateantur.

Ἱπποκράτης φάος ἦν μερόπων ϗ σώζετο λαῶν
Ἔθνεα, ϗ νεκύων, ἦν σπάνις εἰν ἀΐδῃ.

Filios reliquit Theſſalum, & Draconem, quà Patris gloriâ, quà ſuis meritis longè clariſſimos, vt Soranus memoriæ prodidit. vnde fit, vt priſcæ Comœdiæ dicterium, quo hominem ſtolidum & ſenſu communi carentem, Hippocratis filijs ſimilem prædicant, âb Hippocratis noſtri liberis hautquaquam manaſſe exiſtimem. Nam præterquam quod plures eius nominis fuerint authores; Ariſtophanis etiam enarrator, non Theſſalum & Draconem, ſed Teleſippum, Demophontem, & Periclem Hippocratis filios adagio locum feciſſe tradit. Atque adeo Galenum, cùm *libro quod animi mores corporis temperamento reſpondeant*, adagij mentionem faciat; à medicinæ parente calumniam non repuliſſe demiror. Quamuis commentario 1. in *librum de naturâ humanâ*, Theſſalum dicat fuiſſe θαυμάζιον ἄνδρα, & patriorū

 placi-

placitorum obſeruantiſsimum, & apud Archelaum Macedoniæ Regem egiſſe.

CRATEVAS.

CRATEVAS Hippocratis æuo celebris Herbariæ author, ſcientiam à Proauo Crateuâ acceptum ſic excoluit, vt diuini ſenis elegio ἄριστος ῥιζοτόμος appellari meruerit. Et quid amplius ad ſummæ laudis cumulum requiras, quam Hippocrati fuiſſe mirandum? Τὸ δὲ χρῆμα, inquit, τῶν βοτανῶν περὶ σοῦ σοι πολλάκις ἐθαύμασα, *negotium rei herbariæ in te ſæpenumerò miratus ſum.* Laudat eius ῥιζοτομικὸν Nicandri ſcholiaſtes in Theriacis. & Dioſcorides in præfatione operis ſui omnes ante ſe genitos exactâ ſimplicium notitiâ ſuperaſſe prodit. Thapſiam quoque, in Thapſo vnâ Sporadum, primus inueniſſe memoratur.

CTESIAS.

CTESIAS Cnidius, Regis Artaxerxis Medicus, & Hiſtoricus. Strabo libro XIV. de inſulâ Cnido verba faciens: Ἐντεῦθεν δὲ καὶ Κτησίας ὁ ἰατρεύσας μὲν Ἀρταξέρξην τὰ Ἀσσυριακὰ καὶ τὰ Περσικά. *Inde ortus Cteſias Artax-*

Artaxerxis Medicus, qui Aſſyria ſcripſit, & Perſica.

DEMOCRITVS.

ABDERA Thraciæ ciuitas Democritum protulit. Pater illius fuit Hegeſiſtratus: Alij Athenocritum, alij Damaſippum aiunt. natus Olympiade LXXX. in quam Hippocratis quoque natalem incidiſſe demonſtratum eſt. Adeo non vana Paterculi obſeruatio in fine libri I. vbi ſtylo ſignatum reliquit, *cuiuſq; clari operis capacia ingenia in ſimilitudinem, & temporum, & profectuum ſemetipſa ab alius ſeparauiſſe.* Magos & Chaldæos audiuit, quos à Xerxe Perſarum Rege Pater hoſpitali dono acceperat. Deinde ſe ad Leucippum contulit. Peregrinationes varias diſcendi causâ ſuſcepit. Aegyptum, atque Aethiopiam luſtrauit; & in Indiâ Gymnoſophiſtas adijt. His patrimonium exhauſit, quod centum talenta, id eſt 637500 aureorum exceſſiſſe perhibetur. Cùm verò decoctores in maiorum ſepulchra inferri lege prohiberentur; vt inuidorum calumnias amoliretur, operum ſuorum eminentiſſimum, Διάκοσμον publicauit, in id ſe abſumpſiſſe

ſiſſe profeſſus, vt author eſt Athenæus libro IV: quo tantum ſibi gloriæ peperit, vt non modo notâ careret, ſed etiam honorario decem talentorum, ærearumque imaginum titulis dignus cenſeretur. Tanti præterea fecerunt Abderitæ, vt cùm furere ex riſu colligerent, eius ſanandi causâ, propoſito præmio decem talentorum, id eſt 6375o. aureorum; Hippocratem advocarint. Verùm Democritus vt non ambigua ſapientiæ argumenta medico daret; lac ſibi iuſſit afferri: eoque inſpecto, inquit, *καὶ αἰγὸς πρωτοτόκου, καὶ μελαίνης. & capellæ primiparæ, & nigræ.* Sed & puellam Hippocratis comitem primo dum ſalutauit, *χαῖρε κόρη. Salue virgo:* At poſtridie, *χαῖρε γυναί. Salue mulier:* & eâ nocte vitium fuerat virgini oblatum. Tam inuſitato diligentiæ miraculo perculſus Hippocrates, *ἄριστόν τι φύσεως καὶ κόσμου ἑρμηνευτὴν, optimum naturæ, & mundi interpretem* prædicauit. Et verò ſummâ capacis ingenij fecunditate diſciplinarum genus omne complexus meruit Πένταθλος appellari. Studio ad lucubrationum labores fuit adeo pertinaci, vt plerumque in horti ſecretiſſimos receſſus, aut nonnumquam, teſte Luciano, in ſepulchrorum cauernas ſe reciperet, quò noctes

noctes atque dies, ſine interpellatione, meditando & ſcribendo continuaret. Quin, vt author eſt Cicero lib. v. de finibus, oculis ſe priuaſſe dicitur, vt quam minimè animus à cogitationibus abduceretur. In eâ tamen laborum contentione vitam ad vltimum tempus ætatis vix laceſſitâ valetudine produxit. Itaque ſenio effœtus & naturâ deficiente mortem intrepidus excepit: ſed ne feſta Theſmophoriorum ſolennitas luctu funeſtaretur, ad triduum calidi panis odore vitam prorogauit: quibus elapſis eam anno ætatis CIX. facili ἀθανασίας exitu terminavit. Plurima doctrinæ ſuæ monumenta reliquit: In his quæ ad medicinam ſpectant celebratur liber περὶ διαίτης, aut διαιτητικόν, & ἰητρικὴ γνώμη. Ex Plinij libro XXI. cap. XI. de viribus herbarum ſcripſiſſe manifeſtum eſt. & à Petronio ob cauſam hanc prædicatur: *Itaq; hercule*, inquit, *omnium herbarum ſuccos* Democritus *expreſſit: & ne lapidum virgultorumq; vis lateret, ætatem inter experimenta conſumpſit*. fuit enim ex eo genere hominum, qui medendi ſcientiam à quoquam ignorari nolebant: extat in hanc ſententiam vox eius ad Hippocratem χρὴ πάντας ἀνθρώ-

ἀνθρώπους ἰητρικὴν τέχνην ἐπίστασθαι. *oportet omnes homines medicinam ſcire.*

DIOCLES.

DIOCLEM Caryſtium medicinæ rationalis authorem tanti fecit Galenus, vt eius authoritate decreta munire, teſtemque ſuæ doctrinæ paſſim advocare non dubitarit. Sed hoc maximè inſigne ad memoriam laudis, quod, vt idem author eſt II. anatomicarum adminiſtrationum medendi ſcientiam ab Aſclepiadarum familiâ deſertam, ab interitu vindicarit, vt alter eius parens iure dici meruerit. vnde Plinius libro XXVI. capite II. *ab Hippocrate ſecundum ætate famaque extitiſſe*, non falsâ prædicatione commemorat. Primus etiam ſtylo Anatomen ſignauit, quæ non ex ſcriptis antea, ſed ex parentum ſermonibus, ipſaque exercitatione tantum addiſcebatur. Herbariæ peritum fuiſſe conſtat ex Plinio, Plutarcho, Nicandri ſcholijs. A Galeno præterea commentario II. aphoriſ. XXXIII. liber eius de Hebdomadibus, ab Athenæo Ὑγιεινὰ laudantur.

PETRON.

PETRON.

DIOCLI Caryſtio ſucceſſit Petron; de quo Celſus libro III. cap. IX. *Siquidem apud antiquos quoque, ante Herophilum, & Eraſiſtratum, maximeque poſt Hippocratem, fuit Petron quidam; qui febricitantem hominem vbi acceperat, multis veſtimentis operiebat, vt ſimul calorem ingentem ſitimque excitaret. Deinde vbi paulùm remitti cœperat febris, aquam frigidam potui dabat, ac ſi mouerat ſudorem, explicuiſſe ſe ægrum indicabat: ſi non mouerat, plus etiam aquæ frigidæ ingerebat & tum vomere cogebat. ſi alterutro modo febre liberauerat, protinus ſuillam aſſam, & vinum homini dabat. Si non liberauerat, decoquebat aquam ſale adiecto, eamque bibere cogebat, vt mouendo ventrem purgaret. Et intra hæc omnis eius medicina erat.* Atque hæc tam moleſta curandi ratio diu valuit, tandemque nouationem Aſclepiadis acceptiorem vulgo reddidit, vt apud Plinium libro XXVI. capite II. licet notare. *Aſclepiadem*, inquit, *inuere multa, quorum cura nimis anxia, & rudis, vt obruendi ægros veſte, ſudoresq; omni modo ciendi*, &c.

PRAXAGORAS.

PRAXAGORAM non vno loco celebrat, Plinius, & Athenæus, & Galenus paſſim. à quo etiam diſcimus eum Aſclepiadarum familiâ ortum: ſic enim ait I. methodi capite III. Πραξαγόραν τὸν ἀπ' Ἀσκληπιοῦ. *Praxagorã ab Æſculapio genus ducentem* Diſcipulos habuit Philotunum, & Pliſtonicum. librum eius *de ſupervenientibus, & naturalibus* Galenus citat.

MNESITHEVS.

TAM magnificè de Mneſitheo locutus eſt Galenus libro I. ad Glauconem, vt, non teſtimonium impartitum, ſed præconium ei tributum eſſe videatur. Ἀνὴρ, inquit, τά τε ἄλλα ἱκανὸς πάντα τὰ τῆς τέχνης, καὶ εἰς ὅσον χρὴ μεθόδῳ τὴν ἰατρικὴν τέχνην ἀσκεῖν οὐδενὸς ἐπιγνῶναι δεύτερος, *vir tùm in aliis omnibus, quæ ad artem pertinent ſufficienter doctus, tùm verò quâ viâ, ac ratione medendi ſcientiam oporteat exercere, nemini ſecundus.*

PHI-

PHILISTION, ET PAVSANIAS.

DVM ſchola Coa, & Cnidia, in quibus adhuc gens Aſclepiadarum florebat, inter ſe honeſtâ æmulatione decertarent; Italiam incolebant, Philiſtion, Pauſanias, & Empedocles; qui etiam, vt tradidit Galenus libro I. methodi, in diuerſas curandi vias proceſſerunt. Philiſtionis quoque meminit Plinius libro xx. cap. v. & cap. XII. ita vt appareat illum permulta ex plantis remedia prodidiſſe Pauſanias non aliter, nobis cognitus, quam quod à Galeno ſæpe nominetur, & Empedoclis carmine celebretur.

Παυσανίην ἰητρὸν ἐπώνυμον, Αγχίτου υἱὸν,
  Φῶτ' Ασκληπιάδην πατρὶς ἔτρεψε Γέλα.
Ος πολλοὺς μογεροῖσι μαραινομένους καμάτοισι
  Φῶτας ἀπέστρεψεν Φερσεφόνης ἀδύτων.

Pauſaniam Anchiti natum, Phœbiq; nepotem
  Clarum aluit medicum Patria clara Gela:
Qui multos diris homines languoribus ægros
  Eripuit furuis Perſephones adytis.

EMPE-

EMPEDOCLES.

EMPEDOCLES Patriâ Agrigentinus, Patrem habuit Metonem, auum Empedoclem Poëtam eximium: Cuius veſtigia ſecutus animum quoq; ad Poëticæ ſtudium applicuit, & multa verſibus conſcripſit, quorum fragmenta diuini furoris afflatu, quem Plato requirit, eum non caruiſſe ſatis arguunt, & teſtimonio Lucretius eſt, qui Siciliam eo alumno prædicandam cenſet.

Nil tamen hoc habuiſſe viro præclarius in ſe
Nil ſanctum magis, & mirum, carumque videtur.
Carmina quin etiam diuini pectoris eius
Vociferantur, & exponunt præclara reperta,
Vt vix humanâ videatur ſtirpe creatus.

Medicum fuiſſe cùm Satyrus memoriæ prodidit, tùm ipſe profeſſus eſt in carmine ad Agrigentinos, quo ſe diuinos honores conſecuturum ab ægris vaticinatur:

Οἱ μὲν μαντοσυνέων κεχρημένοι, οἱ δ' ἐπὶ νούσων
Παντοίων ἐπύθοντο κλύειν εὐηκέα βάξιν.
Et qui vatis egent, & qui ſanantia cunctos
Exaudire hominum cupient oracula morbos.

Et dictis facta competiuerunt: nam Siciliam ſæuiſſi-

ſæuiſſimâ peſte vexatam liberauit, occluſo terræ hiatu, quem in montium conuallibus apertum peſtilentes auras exhalare ſolus animaduerterat. Ventos ad iniuriam ſterilitatis malignos, exſtructis circa montium anguſtias muris arcuit, eoque Κωλυσανέμας nomen obtinuit. E Selinuntiorum agris aëris infamiam ſuſtulit, deriuatis amnibus, è quibus noxij halitus efflabantur. Ob quæ merita Siculi regnum illi obtulerunt: ſed potentiæ, atque honori, vitæ tranquillitatem antepoſuit. floruit circa Olympiadem LXXXIV. Quo mortis genere perierit, diſcrepantes authorum ſententiæ ambiguum reliquerunt. Alij è curru lapsũ fracto crure morbum contraxiſſe lethalem; Alij vitam laqueo finiviſſe; Alij morbo defunctum tradiderunt, anno ætatis LXXVII. Ab alijs in Aetnam inſilijſſe fertur, vt ſubito euaneſcens immortalitatis opinionem apud omnes ſibi conciliaret:

—— Deus immortalis haberi
Dum cupit Empedocles ardentẽ frigidus Ætnã
Inſilit.

Quæ de Naturâ, de Expiationibus ſcripſit, ad quinque millia verſuum pertingunt, quæ verò de Medicinâ ad ſexcentos.

ACRON.

ACRON, & ipſe etiam Agrigentinus, Patre Xenone: vir ab antiquis eius inuenti nomine laudatus, quod peſtem vitio aëris longè, latéque graſſantem, ſtructis ignibus exſtinxit. Cuius facti meminit Plutarchus libro de Iſide, & Oſiride, Aetius libro V. capite XCIV. & Paulus libro II. capite XXXV. Hic omiſsâ coniecturâ rerum latentium, ab experimentorum obſeruatione medendi vias traxit. Plinius libro XXIX. capite I. *Alia factio ab experimentis ſe cognominans Empiricen cœpit in Siciliâ, Acrone Agrigentino Empedoclis Phyſici authoritate laudato.* Procul dubio verſus Empedoclis reſpexit Plinius, qui apud Laërtium nunc quoque leguntur. Nam cùm peteret, vt ob artis præſtantiam, in celeberrimo vrbis loco ſepulchrum ſibi facere liceret; Empedocles reſtitit, & hac vnius prærogatiuâ non eſſe violandam ciuium æqualitatem cenſuit, ſubinde rogans Acronem num eiuſmodi elogium monumento vellet, inſcribi:

Ἄκρον ἰατρὸν Ἄκρων Ἀκραγαντῖνον πατρὸς ἄκρου
Κρύπτει κρημνὸς ἄκρος πατρίδος ἀκροτάτης.

Acro-

Acronem ſummum Medicum, ſummo patre
natum,
In ſummâ tumulus ſummus habet patriâ.

Author eſt Suidas eum de Medicina ſcripſiſſe linguâ Doricâ, & librum I. de victu ſanorum.

NICIAS.

NICIAS Mileſius Theocriti verſibus inclaruit: Idyllio XXVIII. vocatur

Χαρίτων ἱμεροφώνων ἱερὸν φυτόν.
Gratiarum ſuaue-loquentum ſacrum germen.

& paulò poſt:

ὃς πολλ' ἐδάη σοφὰ
Ανθρώποισι νόσους φάρμακα λυγρὰς ἀπαλάλκεμεν.
Qui multa nouit ſapientia
Hominibus remedia ad propulſandos triſtes morbos.

Idyllio XI.

Ἰατρὸν ἔοντα
Καὶ ταῖς ἐννέα δὴ πεφιλαμένον ἔξοχα μούσαις
Medicum exiſtentem
Et notem amicum eximiè muſis.

ex quibus apparet, non ſolum medendi ſcientiâ, ſed etiam poëticâ facultate plurimum excelluiſſe.

APOL-

APOLLODORVS.

MEDICVS Ptolomæi Regis, ad quem ſcripſit volumen de vino, & eius vſu. Plinius libro XIV. capite VII.

NICIAS.

NICIAS Regis Pyrrhi Medicus: Nam Plutarchus, & Florus Medicum fuiſſe aiunt, quem Valerius Antias *Amicum Regis*, & Quadrigarius *familiarem* appellauit: ſed ille pro Niciâ Timocharem nominat. Gellius libro III. capite VIII. Aelianus libro XII. variarum cap. XXXIII. hunc Pyrrhi Medicum Cineam appellat.

EVDAMVS.

EVDAMVS apud Athenienſes in primis clarus ob annulos, quos arcanâ vi magici carminis infectos ad auerruncandas iniurias venditabat. Vnde apud Ariſtophanem in Pluto, vir iuſtus inducitur, qui iſto veluti faſcino munitus Aduerſarij malignitatem pro nihilo ducit:

φορῶ γὰρ πριάμενος

Tòν

Τὸν δακτύλιον τόνδε παρ' Εὐδάμου.

Geſto enim, quem emi,

Annulum huncce ab Eudamo.

Ad quem locum Scholiaſtes: οὗτος ὁ Εὔδαμος φυσικοὺς δακτυλίους ποιῶν πρὸς δαίμονας, καὶ ὄφεις, καὶ τὰ τοιαῦτα. Eudamus iſte naturales annulos faciebat aduerſus genios, & ſerpentes, & alia eiuſmodi.

ARISTOGENES.

DVO fuêre nobiles eius nominis Medici, Thaſius alter, alter Gnidius; de quibus Suidas: Ἀριστογένης, Θάσιος ἰατρὸς, ἔγραψε βιβλία κδ΄. ἐκρέθη καὶ περὶ διαίτης ἕν. περὶ δυνάμεως ἕν. περὶ δακετῶν ἕν. περὶ σπέρματος ἕν. ὑγιεινῶν ἕν. ἐπιστολικά. ἐπιτομὴν φυσικῶν βοηθημάτων πρὸς Ἀντίγονον. *Ariſtogenes Thaſius Medicus ſcripſit libros* XXIV. *vnum etiam de victus ratione: de facultate vnum: de venenatis vnum: de ſemine vnum: ſalubrium vnum: Epiſtolica: compendium naturalium remediorum ad Antigonum.* Ἀριστογένης Κνίδιος, ἰατρὸς δοῦλος Χρυσίππου τοῦ φιλοσόφου. ἰάτρευσεν Ἀντιγόνῳ τῷ ἐπικληθέντι Γονατᾷ. *Ariſtogenes Gnidius, Seruus Chryſippi Philoſophi. qui valetudinem curauit Antigoni cognomento Gonatæ.*

CHRYSIPPVS.

CHRYSIPPVS natione Solenſis, aut vt alij volunt Tharſenſis, filius Apollonij; authore Laertio; vel Apollonidæ ſecundum Suidam. Diſcipulus primò Cleanthis, deinde Zenonis. Primus, vt ait Plinius, Aſclepiadarum placita ingenti garrulitate mutauit. Quippe diſputator planè ſubtilis, nullius non doctrinæ fundamenta labefactare, aut quamcumque oblatam ſtabilire demonſtrationibus ſe poſſe gloriabatur. Diligentia præcipuè commendatur in abſoluendâ diſſerendi ratione, veri ac falſi iudicandi ſcientiâ; quâ tantum ſibi gloriæ parauit, vt vulgo iactaretur, ſi in cælo foret neceſſaria ars diſſerendi, Deos Chryſippi vſuros inſtitutis. Valerius Maximus libro VIII. cap. VII. pertinax in eo genere diſciplinæ ſtudiũ extollit in hunc modum: *Citerioris ætatis metas, ſed non parui tamen ſpacij, Chryſippi viuacitas flexit: nam octogeſimo anno cæptum, vnde quadrageſimum λογικῶν exactiſsimæ ſubtilitatis volumen reliquit: cuius ſtudium in tradendis ingenij ſui monumentis, tantum operæ laborisq; ſuſtinuit, vt ad ea quæ ſcripſit penitus cognoſcenda longâ vitâ ſit opus.* Hinc eum tanta ſapientiæ

pientiæ fama ſecuta eſt , vt Homerico verſu deprædicaretur,

Οἶος πέπνυται, τοὶ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσι.

Hic ſolus ſapit aſt alij velut vmbra feruntur.

Verùm Galenus etiam eius artis quam excoluit tantâ contentione, velut imperitum arguit: nam libro 11. de placitis Hippocratis, & Platonis, ait eum ignoraſſe naturam demonſtrationis. Equidem modo ſcriptis abolitis non poſſumus vllam de eius in diſſerendo ſcientiâ ferre ſententiam; ſed fortè non fuerit iudicij falſus, qui exiſtimauerit in captionum argutijs ingenij luſiſſe ſubtilitatem, ſiquidem opus vniuerſum iudicetur ex ijs, quæ à Laertio, & Suidâ velut in ſpecimen afferuntur. Huc etiam facere Seneca videtur, à quo non ſemel in ordinem redigitur, & ineptiarum accuſatur. Nec verò artem diſſerendi tantùm, ſed alias quoque diſciplinas futili acumine vitiauit. Scripſit (inquit Cicero) artem Rhetoricam Chryſippus; ſed ſic, vt ſi quis obmuteſcere concupierit, nihil aliud legere debeat. Atque ob hanc contaminandarum ſcientiarum libidinem, opinor, illum Zeno (quod etiam tradit Cicero libro 1. de naturâ Deorum) infami vocabulo ἀπὸ τοῦ χέζειν deducto, nunquam

niſi Cheſippum appellare ſolebat. Hinc quoque Galenus libro v. de placitis Hippoc. & Plat. omnem eius doctrinam vnâ veluti ſpongiâ delet, inquiens, ea quæ à Chryſippo afferuntur partim ſibi non conſtare, partim euidentibus repugnare. Et in tantâ multitudine ſcriptorum, quæ ſeptingenta volumina exceſſerunt, omnia non potuerunt eſſe apta inter ſe, & cohærentia, præſertim vbi obuia primùm & oblata literis mandantur. Id autem tam familiare Chryſippo fuit, vt Plutarchus lib. περὶ στωικῶν ἐναντιωμάτων, dicat eum ſcribere, quæ ſunt hominis ὅτι ἂν ἐπέλθῃ λέγοντος. Obijt anno ætatis LXXIII. Olympiade CXLIII: corruptus ergo Laertius; qui ſcribit ἀπελθεῖν βιώσαντα ἔτη, κατὰ τὴν τρίτην, καὶ πεντηκοστὴν Ολυμπιάδα, τρία καὶ ἑβδομήκοντα, *Exceßiſſe, cùm vixiſſet annos, ſecundùm* XLIII. *Olympiadem, tres, & ſeptuaginta*. Reſtituendus eſt ex Suidâ, ἔτη, κατὰ τὴν ἑκατοστὴν τρίτην καὶ τεσσαρακοστήν. Hermippus mero liberaliùs hauſto ſuffocatum prodidit: Alij riſu diſſolutum exſpiraſſe tradiderunt, dum, conſpecto Aſino, qui ficus edebat, Aniculæ dixiſſet, vt vinum exhiberet.

MENE-

MENECRATES.

MENECRATES nullius ægri curam ſuſcipere dignabatur, niſi qui ſe fore ſeruum eius, comitemque ſcripto ſpopondiſſet. His verò nomina Deorum ſingulis adſignabat; ipſe autem ſe Ζῆνα, id eſt, *Iouem* vocabat, quod τὸ ζῆν, ſiue *vitam* mortalibus ægris prorogaret. Incedebat igitur velut ὕπατος κρειόντων, ingens Deorum agmen ſecum trahens. Nicoſtratus, vt author eſt Athenæus, libro VII. morbo comitiali ſanatus, Herculis ornatu comitabatur, & Hercules vocabatur. Zelites Nicagoras, qui poſtea Patriæ Tyrannidem inuaſit, Mercurij cultu ſectabatur. Retulit Hegeſander Aſtycreontem, quem ſanauerat, ab eo Apollinem fuiſſe vocatum: & alium Aeſculapij habitu circumductum: Αὐτὸς δὲ ὁ Ζεὺς πορφύραν ἠμφιεσμένος, καὶ στέφανον χρυσοῦν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ἔχων, καὶ σκῆπτρον κρατῶν, κρηπῖδάς τε ὑποδεδεμένος περιῄει μετὰ τοῦ θείου χοροῦ. *Ipſe verò amictus purpurâ, auream coronam capite geſtans, ſceptrum tenens, ſoleas indutus, cum illo Deorum choro regiones obibat:*

HEROPHILVS.

HEROPHILVS, patriâ Chalcedonius, inter Principes Medicinæ rationalis authores meritò numeratur. Plinius libro XXV. capite II. *ſubtilioris ſectæ conditorem*, & Galenus commentario VII. aphoriſmo LXVI. *Hippocratis expoſitorem* appellat; & ab eodem ſumit definitionem Medicinæ quâ paſſim vtitur. Scholas empiricorum ab eo damnatas fuiſſe, memorat Plinius libro XXIX. capite I. Tria Medicæ artis capita potiſſimùm excoluit, Herbariam, Pulſuum notitiam, & Anatomen. Ad primam quod attinet, è numero fuit eorum, qui exiſtimarunt, nihil non herbarum vi effici poſſe, ſed plurimarum vires eſſe incognitas; & ab eo ferunt dictum, *quaſdam fortaſsis etiam calcatas prodeſſe*. Pulſuum differentias in muſicos pedes deſcripſit, per ætatum gradus: Plinius libro XI. capite XXXVII. *Arteriarum pulſus in cacumine maximè membrorum in modulos certos, legesque metricas, per ætates ſtabilis, aut citatus, aut tardus, deſcriptus ab Herophilo Medicinæ vate, mirandâ arte, nimiam propter ſubtilitatem deſertus.* In Anatome, ſiue controuerſiâ palmam tulit; & Galenus etſi parcus

aliorum

aliorum laudator, commentario II. in librum Hippocratis de naturâ humanâ, artem diſſecandi ab Herophilo plurimùm fuiſſe auctam ingenuè fatetur, nec eius authoritatem facilè defugit. Et tanto ſtudio ſcientiam proſecutus eſt, vt authore Celſo, *homines à Regibus è carcere acceptos, viuos inciderit, conſiderarítq́. etiam ſpiritu remanente, ea, quæ natura clauſiſſet, eorumq́. poſituram, colorem, figuram, magnitudinem, ordinem, duritiem, mollitiem, læuorem, contactum, proceſſus denique ſingulorum & receſſus, ſiue quid inſertum alteri, ſiue quid partem alterius in ſe recipit.* Notata multitudo corporum, quæ diſſecuit, & ad ſeptingenta pervenit: Tertullianus libro de anima: *Herophilus ille Medicus, aut Lanius, qui ſeptingentos exſecuit, vt naturam ſcrutaretur, qui homines odijt, vt noſſet; neſcio an omnia interna eius liquidò explorarit, ipſa morte mutante, quæ vixerant: & morte non ſimplici, ſed ipſa inter artificia exſectionis errante Philoſopho &c.* Quamobrem Veſalius eum in hac parte Galeno anteponere non dubitauit: & Fallopius rei anatomicæ peritiſſimus dicere non eſt veritus; *Contradicere Herophilo in anatomicis, eſt contradicere Euangelio.*

Cleombrotus, et Critobulus.

Ob ſeruatum Antiochum Ptolomæus Cleombrotum donauit centum talentis; id eſt 637500. aureorum. Critobuli gloria plurimùm eo ſeculo enituit extracta Philippi Regis oculo ſagitta, & citra deformitatem oris curatâ orbitate luminis.

Zeno.

Zenonem Herophili diſcipulum laudat author definitionum. & Celſus libro v. capite I. inter eos recenſet, qui multa de facultatibus medicamentorum memoriæ prodiderunt. & eodem in loco meminit Andræ (forte legendum Andreæ, vt idem intelligatur, cuius facit mentionem Dioſcorides libro I. capite I.) & Apòllonij, qui Mys cognominatus eſt.

Petronius.

Inter præſtantiſſimos rei Herbariæ ſcriptores, Petronius à Dioſcoride memoratur: & cum eo Baſſus Tylæus, Niceratus, Niger, & Diodotus. Et quidem Petronium,

& Dio-

& Diodotum diuerſos facit. At Plinius libro XX. capite VIII. vtrumque nomen vni adſignat: *Petronius Diodotus, qui antilegomena ſcripſit in totum damnauit Serim multis modis arguens.*

PHILIPPVS COVS.

PHILIPPVS Cous empiricen primus à Logicâ diſpeſcuit, rationes accipiens ab Herophilo, cuius diſcipulus fuit, vti vult Galenus in Iſagog. Hunc quoque citat Plinius libro XIX. capite XXXI. Præterea Galenus iterum, iterumq́; perſtringit hominem, eo quod nimium formidauerit balneum in maraſmode Hecticâ, in quâ ſi nihil aliud obſit audacter ipſe lauandum cenſet.

PHILIPPVS ACARNAN.

ALEXANDER feruidiſſimo æſtatis tempore Cydnum amnem lauandi causâ ingreſſus in periculoſiſſimum morbum incidit. quâ occaſione Darius mille talenta, hoc eſt 6375000. aureorum, interfectori Alexandri daturum ſe pronunciari iuſſerat. Hinc Philippus valetudini Regis admotus,

fidei ſingularis exemplum eſſe meruit. At rem porrò verbis Curtij, ſcriptoris elegantiſſimi ex libro III. enarrare pergam. *Erat inter nobiles Medicos è Macedoniâ Regem ſecutus Philippus, natione Acarnan, fidus admodum Regi puero comes, & custos ſalutis datus: non vt Regem modò, ſed etiam vt alumnum eximiâ charitate diligebat. Is non præceps ſe, ſed ſtrenuum remedium afferre, tantamq; vim morbi potione medicatâ leuaturum eſſe promiſit. Nulli promiſſum eius placebat, præter ipſum, cuius periculo pollicebatur. Omnia quippe, faciliùs, quam moram perpeti poterat. Arma, & acies in oculis erant, & victoriam in eo poſitam eſſe arbitrabatur, ſi tantùm ante ſigna ſtare potuiſſet: id ipſum, quod poſt diem tertium medicamentum ſumpturus eſſet (ita enim Medicus prædixerat) ægrè ferens. Inter hæc à Parmenione fidiſſimo purpuratorum literas accipit, quibus ei denunciabat, ne ſalutem ſuam Philippo committeret: mille talentis à Dario, & ſpe nuptiarum Sororis eius eſſe corruptum. Ingentem animo ſollicitudinem literæ incuſſerant, & quidquid in vtramque partem, aut metus, aut ſpes ſubiecerat, ſecretâ æſtimatione penſabat. Bibere perſeuerem? vt ſi venenum datum*

datum fuerit, ne immeritò quidem quidquid acciderit, eueniſſe videatur. Damnem Medici fidem? in tabernaculo ergo me opprimi patiar? At ſatius eſt alieno me mori ſcelere, quàm metu noſtro. Diu animo in diuerſa verſato, nulli, quid ſcriptum eſſet, enunciat, epiſtolâque, ſigillo annuli ſui impreſſo, puluino, cui incubabat, ſubiecit. Inter has cogitationes biduo abſumpto, illuxit à Medico deſtinatus dies. Et ille cum poculo in quo medicamentum diluerat, intrauit. Quo viſo Alexander, leuato corpore in cubitum, epiſtolam à Parmenione miſſam ſiniſtrâ manu tenens, accipit poculum & haurit interritus. Tum epiſtolam Philippum legere iubet, nec à vultu legentis mouit oculos, ratus aliquas conſcientiæ notas in ipſo ore poſſe deprehendere. Ille epiſtolâ perlectâ, plus indignationis, quàm pauoris oſtendit. proiectiſque amiculo, & literis, ante lectum, Rex, inquit, ſemper quidem ſpiritus meus ex te pependit. ſed nunc verè arbitror, ſacro, & venerabili ore trahitur. Crimen parricidij, quod mihi obiectum eſt, tua ſalus diluet. Seruatus à me vitam mihi dederis oro, quæroque, omiſſo metu, patere medicamentum concipi venis. Laxa pauliſper animum, quem intem-

intempeſtiuâ ſollicitudine amici ſanè fideles, ſed moleſte ſeduli turbant. Non ſecurum modò hæc vox, ſed etiam lætum Regem ac plenum bonæ ſpei fecit. Itaque ſi Dij, inquit, Philippe, tibi permiſiſſent quo maxime modo velles, animum experiri meum aliq profecto voluiſſes. Sed certiore, quàm expertus es, ne optaſſes quidem. Hac epiſtolâ acceptâ, tamen quod dilueras bibi: & nunc credo te non minus pro tua fide, quàm pro meâ ſalute eſſe ſollicitum. Hæc elocutus dexteram Philippo offert. Cæterùm tanta vis medicamenti fuit, vt quæ ſecuta ſunt, criminationem Parmenionis adiuuerint. Interclusus ſpiritus arctè meabat; nec Philippus quidquam inexpertum omiſit. Ille fomenta corpori admouit, ille torpentem nunc cibi, nunc vini odore excitauit. Atque vt primùm mentis compotem eſſe ſenſit, modò Matris ſororumq́, modò appropinquantis tantæ victoriæ admonere non deſtitit. Vt verò medicamentum ſe diffudit in venas, & ſenſim toto corpore ſalubritas percipi potuit: primum animi vigorem ſuum, deinde corpus quoque exſpectatione maturiùs recuperauit. Quippe poſt tertium diem, quàm in hoc ſtatu fuerat, in conſpectu militum venit: nec auidiùs ipſum Regem quàm Philippum intuebatur exercitus; pro ſe quiſque dexteram eius amplexi,

amplexi, grates habebant velut præſenti Deo.

ARISTOTELES.

QVOD in principio præfatus ſum, iure ſibi nunc aliqui objicere videbantur, in alieno me choro pedem ponere, qui Ariſtotelem hactenus Philoſophi nomine contentum ad Medicorum ordinem velut obtorto collo traham. Ego verò vt Aſclepiadarum genere prognatum, eorum etiam arti iuſtis vindicijs reſtitui putem, in primis inducor authoritate Scriptorum quæ nobis reliquiſſe fertur; tùm antiquorum teſtimonijs, ac præcipuè Varronis, cuius hi verſus ex Eumenidibus apud Nonium leguntur:

Hoſpes quid miras nummo curare Serapin?
An non tantidem curat Ariſtoteles?

Igitur Ariſtoteles patrem habuit Nicomachum, Amyntæ Macedonũ Regis Medicum; quem genus à Nicomacho Machaonis filio trahere, apud Laërtium Hermippus, & ex illo Suidas prodiderunt. Matrem verò Phæſtida, aut Phæſtiada, & eam quoque è gente Aſclepiadarum; vnde vetus inſcriptio.

Φαι-

Φαιστίδος ἦν μητρὸς, καὶ Νικομάχου γενετῆρος,
Τῶν Ἀσκληπιάδων δῖος Ἀριστοτέλης.

Nicomacho genitore ſatus, & Phæſtide Matre,
(Ambo Aſclepiadæ) diuus Ariſtoteles.

Natus eſt anno I. Olympiadis XCIX. Parentibus vitâ functis, à Proxeno Atarneo liberaliter educatus, primos ſtatim annos ingenuarum artium ſtudio dedit. Annum verò agens ſeptimum, & decimum, Apollinis iuſſu, vt eſt apud Ammonium, Philoſophandi causâ profectus Athenas, Socratem tres annos audiuit. Deinde ad Platonem ſe contulit iam trigenarius, vt author eſt Eumolpus. Sed Laertius Apollodorum ſecutus, à XVII. ætatis anno Platonem audiuiſſe narrat, quem eo tempore Sexagenarium fuiſſe conſtat. Cæterùm Platonis diſciplinam XX. annos ſecutus eam induſtriæ gloriam retulit, vt *Mens Academiæ*, & domus eius, Domus Ἀναγνώστου vocaretur. Hermippus eum à Præceptore etiamnum viuo diſciuiſſe tradidit; ſed negat Ammonius πῶς γὰρ ἠδύνατο, μέγα τότε δυναμένων Χαβρίου τε, καὶ Τιμοθέου, τῶν Ἀθήνησι στρατηγῶν, καὶ τῷ γένει προσηκόντων τῷ Πλάτωνι. *Qui enim fieri potuit? cum, quidem eo tempore gratiâ, & authoritate plurimùm apud Athenienſes valerent Chabrias, & Timotheus,*

theus, qui è ducibus Athenienſium, & Platonis cognatis fuerunt. Et quamuis à ſententiâ Præceptoris ſui liberè diſceſſerit; cauſa tamen non eſt, cur minus id ſtudio veritatis, quam vel obtrectationi, vel inuidiæ tribuamus; præſertim vbi tam egregio pietatis monumento obſeruantiam teſtari voluerit. quippe Arám illi erexit & inſcripſit

Βωμὸν Ἀριστοτέλης ἐνιδρύσατο τόνδε Πλάτωνος
Ἀνδρὸς, ὃν οὔτ' αἰνεῖν τοῖσι κακοῖσι θέμις.

Gratus Ariſtoteles ſtruit hoc altare Platoni,
Quem turba iniuſtæ vel celebrare nefas.

Cùm verò in Platonis ſcholam ſucceſſit Speuſippus, eius ex ſorore nepos anno II. Olympiadis CVII. ad Philippum terræ Macedoniæ Regem conceſſit; à quo filium Alexandrum annos natum quindecim, annum ipſe agens ætatis XLII. Philoſophiæ præceptis imbuendum accepit; quâ ſpe Patris litteræ ipſius loquuntur apud Gellium lib. IX. c. III. vbi in hanc ſententiam exponuntur. *Philippus Ariſtoteli ſalutem dicit. Filium mihi genitum ſcito; quod equidem Dijs habeo gratiam: non proinde quia natus eſt, quam pro eo, quod eum naſci contigit temporibus vitæ Tuæ. Spero enim fore, vt educatus, eruditusq́, abs te, dignus exiſtat & nobis, & rerum iſtarum ſucceſſione.*

Et

Et Alexander ab inſtitutione totius vitæ momentum pendere gnarus, ſe non minus Præceptori, quàm Parenti debere fatebatur. Equidem inter prima regni inſtrumenta habitum, libri quos de moribus, & Reipub. adminiſtratione conſcripſit, abundè teſtantur, ſed hos quoque fines egreſſus, ad rerum naturæ cognitionem Regi præiuit. Plinius libro VIII. capite XVI. *Alexandro Magno Rege inflammato, cupidine animalium naturam noſcendi, delegataq; hac commentatione Ariſtoteli, ſummo in omni doctrinâ viro, aliquot millia hominum in totius Aſiæ, Græciæque tractu parere iuſſa, omnium quos venatus aucupia, piſcatusq; alebant.* His tantum ſibi conciliauit authoritatis, vt Philippus ſecundum Plutarchum; aut Alexander ipſe, ſecundum Plinium libro VII. cap. XXIX. tantæ rerum claritati benignum quoque teſtimonium miſcere cupiens, Stagiram Philoſophi patriam, antè vaſtatam, ſoloque æquatam inſtaurari curarit. Cuius rei memoriam ſolenni feſto (quod Ariſtotelem vocabant) Stagiritæ recoluerunt. Præterea cùm Alexander aduerſus Ereſſum, Theophraſti patriam infeſto exercitu tenderet, Ariſtotelis interceſſione reuocatus aliò conſilia vertit.

Interea

Interea mortuo Speuſippo Athenienſes eum ad ſe per legatos accerſiuerunt. Itaque II. anno Olympiadis CXI. ætatis L. Athenas reuerſus in Lycæo docere cœpit, Academiâ per Xenocratem occupatâ. Quo in munere XIII. annos verſatus ſectam condidit omnium longè nobiliſſimam; quam Peripateticam vocarunt, eò quòd inter ambulandum, artes, commentationesque ſuas diſcipulis traderet. Earum vero duas ſpecies habuiſſe dicitur, Authore Gellio libro XX. capite IIII. Alia erant, quæ nominabat Ἐξωτερικά: Alia, quæ appellabat Ἀκροαματικά. Ἐξωτερικὰ dicebantur, quæ ad Rhetoricas meditationes, facultatem argutiarum, ciuiliumque rerum notitiam conducebant. Ἀκροαματικὰ autem vocabantur, in quibus Philoſophia remotior, ſubtiliorque agitabatur, quæque ad naturæ contemplationes, diſceptationesve dialecticas pertinebant. Huic diſciplinæ, quam dixi ἀκροαματικὴν, tempus exercendæ dabat in Lycio matutinum. Nec ad eam quenquam temerè admittebat, niſi quorum ante ingenium, & eruditionis elementa, atque in diſcendo ſtudium, laboremque exploraſſet. Illas verò ἐξωτερικὰς eodem in loco veſperi faciebat, eaſque vulgo

Iuuenibus ſine delectu dabat, atque eum δειλινὸν περίπατον appellabat. Illum alterum ſuprà ἑωθινόν. vtroque enim tempore ambulans differebat. Inter hæc famæ celebritas æmulorum odia prouocauit, vt quatenus æquari non poterat virtutis oppoſitu, calumnijs opprimeretur. His enim Populus Athenienſis in bonorum innocentiam plerumque graſſabatur. vnde mores εἰς τὸ συκοφαντεῖν procliues Homerico verſu notauit, ex Od. VIII.

Ὄγχνη ἐπ' ὄγχνῃ γηράσκει, σῦκον δ' ἐπὶ σύκῳ.
Et Pyra nata pyris, ficusq; ficubus extat.

Itaque detrectâ conſpiratione Chalcidem profugit, non paſſus, vt aiebat, Athenienſes iterum in Philoſophiam peccare. οὐκ ἐάσω, inquit, ὑμᾶς δὶς εἰς φιλοσοφίαν ἁμαρτεῖν. Nam antea Socratem iniuſtè condemnarant. Cæterùm impietatis accerſebatur, & accuſator vrgebat Eurymedon, myſteriorum Hierophanta, aut vt Phauorinus ait, Demophilus; quod eum Hermeiæ Atarnenſium Tyranno Pæana ceciniſſe, & concubinæ rem diuinam Eleuſinio ritu feciſſe diceret. Hæc maleuolorum primùm rumore iactata Lycon Pythagoricus arripuit, & innatâ obtrectandi rabie ſparſit in vulgus, mate-

riem-

riemq́ue dedit quibuſdam huius æui Hyperbolis, quam furialem maledicendi κακοηθείαν explerent, nihilq́ue reliqui facerent, quo nobis Ariſtotelem non iam hominem, ſed fœdiſſimam vitiorum omnium ſentinam exhiberent. Iiſdem authoribus confirmata ſuſpicio, quâ conſcius ferebatur conſpirationis in Alexandrum, quinetiam, excogitato in id veneno, mortis author, ob Calliſthenem conſobrinæ ſuæ filium, ab eo Rege, ignominioſiſſimè, crudeliſſiméque necatum. Quibus accedere videtur Plinius libro XXX. cap. XVI. *Vngulas tantùm mularum repertas, neque aliam vllam materiam, quæ non præproderetur à veneno ſtygis aqua, cum id dãdum Alexandro Magno Antipater mitteret, memoriâ dignum eſt, magnâ Ariſtotelis infamiâ excogitatum.* Curtius quidem veneno fuiſſe necatum, à plerisq́ue creditum refert; Sed non facta Ariſtotelis mentione, filium Antipatri, inter miniſtros Iollam nomine, patris iuſſu dediſſe. Plutarchus etiam opinionem illam veneni ab Antipatro miſſi, & ab Ariſtotele excogitati, Antigoni Regis teſtimonio confirmatam oſtendit: Ipſe tamen ſuſpicionem veneni diluit, vel eo argumento, quod certum ſit, neque tunc mortuo

Alexandro vllam in exercitu veneni ſuſpicionem fuiſſe, neque tot diebus, quibus inter Principes de ſucceſſore Alexandri, præſente eius corpore diſceptatum eſt, vllum in tumorem, aut liuorem, aut veneni indicium extitiſſe. Cæterùm anno tertio Olympiadis CXIV. biennio poſt mortem Alexandri Magni, eodem anno, quo Demoſthenes obijt, annos tres & ſexaginta natus, hauſto aconito, vel vt Suidas ait, morbo vitam finiit. Iuſtinus Martyr in Parænetico ad gentes, quod quæſtionem de admiranda vi, & natura Euripi propoſitam explicare non poſſet, pudore ſimul, ac tædio victum exſpiraſſe prodidit. Porro de laudibus tanti viri, vt de Carthagine Saluſtius, tacere malo, quam parùm dicere: Tamen in exemplum pauca ſummorum virorum teſtimonia ſubjiciam. Cicero: *ſed quis omnium doctior? quis acutior? quis in rebus vel inveniendis, vel iudicandis acrior Ariſtotele fuit?* Et iterum: *Cum omnis ratio diligens diſſerendi duas habeat partes, vnam inveniendi, alteram iudicandi, vtriuſque Princeps vt mihi quidem videtur, Ariſtoteles fuit.* Alexander, Simplicius, Themiſtius, laudes illi tribuunt, quantas perfecta & natura, & induſtria mortalis

con-

conditionis recipit. Auerrhoes autem, non vt hominem, ſed veluti Deum vbique admiratur. In procemio Phyſices: *Ariſtoteles tres ſcientias inuenit; Logicam, Naturalem, & Diuinam: & nullus error inuentus eſt vſq; ad hoc tempus, quod eſt mille & quingentorum annorum: & talem virtutem eſſe in vno indiuiduo, potiùs eſt miraculoſum, quàm humanum.* Item in III. de animâ: *Ariſtoteles fuit regula, & exemplar, quod natura inuenit, ad demonſtrandam vltimam perfectionem humanam in materijs.* Item I. de generatione animalium: *Laudemus Deum, qui ſeparauit hunc virum ab alijs in perfectione, & appropriauit ei vltimam dignitatem humanam, quam nullus homo poteſt in vlla ætate attingere.* Item in lib. deſtruct. diſput. III. in ſolutione dubitationis XIII. *Ariſtotelis doctrina eſt ſumma veritas, quoniam eius intellectus fuit finis humani intellectus: quare bene dicitur de illo, quod ipſe fuit creatus, & datus nobis diuinâ prouidentiâ, vt non ignoremus poßibilia ſciri.* Cumque in eius laudes effuſi fuerint omnes, non fuit inuentus vllus, qui maledicto laceſſeret præter vnum Lyconem; cuius etiam figmenta diſcuſſerunt Apellicon, & Ariſtoteles, quorum ſi monumenta

ſupéreſſent, Pſylli noſtro, & Ophiogenes venena tantùm exſugere nati, velut Exoſſis, ſuum pedem rodere cogerentur. Nos verò, virum tantum, cuius doctrinã plerumque ſectamur, ijs verſibus, quibus alloquitur Epicurum ſuum Lucretius, meritò, ac lubenter affabimur:

E tenebris tantis tam clarum attollere lumen
Qui primus potuiſti, illuſtrans commoda vitæ,
Te ſequor, ô Graiæ gentis decus, inque tuis nunc
Fixa pedum pono preſſis veſtigia ſignis.

ERASISTRATVS.

ERASISTRATVS patriâ Iuliates. Iulias autem, ſiue Iulis, ciuitas in inſulâ Co clara natalibus, Simonidæ, Bacchilidæ, & Ariſtonis Peripatetici; author eſt Stephanus. Matrem illi fuiſſe tradit Suidas Cretoxenem, Medij Medici, & Cleombroti ſororem. Plinius libro XXIX. Ariſtotelis filiâ genitum, & Chryſippi diſcipulum fuiſſe ſcribit. Celebratur in primis ob deprehenſum, curatumque Antiochi Regis amorem, cuius meminit Galenus libro de præcognitione:

tione: Hiſtoriam copioſè narrat Appianus lib. de bellis Syriacis; & elogium hoc illi tribuit: ὁ περιώνυμος ἰατρὸς Ἐρασίστρατος ἐπὶ μεγίσταις συντάξεσι Σελεύκῳ συνών. *Celeberrimus Medicus Eraſiſtratus, maximis conditionibus apud Seleucum agens.* Plinius etiam libro XIII. cap. VII. *Maximum Medicum* appellat. Galenus libro de optimâ ſectâ, eum cum Hippocrate de principatu certare fatetur: & libro de aſſuetudinibus cum Hippocrate componit, & vocat ἐνδοξοτάτους ἰατρῶν. Alias tamen in eum, eiuſque ſectatores inuehitur; & libro de venæ ſectione, modicæ experientiæ arguit, vt qui domi ſe continens ægros viſitare contemneret. Citantur libri de febribus, de affectionibus ventris, de reſolutionibus, de podagrâ, de ſectionibus. Suidas eum in Medicinâ libros nouem ſcripſiſſe memorat. Aetate grandæuus, & immedicabili pedis vlcere tabeſcens; bene habet, inquit, quod patriæ memoria refricetur; hauſtaque cicutâ diem obijt. Sepultus eſt iuxta Mycalem montem ex aduerſo Sami.

THEOPHRASTVS,

THEOPHRASTVS Ereſſo Lesbi ciuitate oriundus, vir magnus, maximi Ariſtotelis diſcipulus, patrem habuit Melanthum arte fullonem. Alij, vt Suidas refert, Leonte genitum prodiderunt, Primò Tyrtamus vocabatur. Ariſtoteles ob eloquentiæ diuinam ſuauitatem Euphraſtum, deinde Theophraſtum appellauit. Præterea tanti fecit, vt, cum præſtantiſſimorum diſcipulorum copiâ iudicium morari potuiſſet, hunc tamen reliquis omnibus anteponere non dubitarit. Elegans huius rei narratio eſt apud Gellium libro XIII. cap. V. *Ariſtoteles Philoſophus, annos iam ferè natus duo, & ſexaginta, corpori ægro, affectoque, ac ſpe, vitaq; tenui fuit. Tunc omnis eius ſectatorum cohors accedit, orantes, obſecrantesque, vt ipſe deligeret loci ſui, & magiſterij ſucceſſorem, quo poſt ſummum eius diem, perinde vt ipſo vterentur ad ſtudia doctrinarum complenda, excolendaque, quibus ab eo imbuti fuiſſent. Erant tunc in eius ludo boni multi, ſed præcipui duo, Theophraſtus & Menedemus ingenio, atq; doctrinis cæteros præſtabant. Alter ex Inſulâ Lesbo fuit, Menedemus autem Rhodo. Ariſtoteles reſpondit, facturum eſſe*

eſſe quod vellent;cùm id ſibi foret tempeſtiuum. Poſteà breui tempore,cùm iidem illi,qui de magiſtro deſtinando petierant,præſentes eſſent,vinum ait quod tùm biberet, non eſſe id ex valetudine ſuâ, ſed inſalubre eſſe, atq; aſperum, ac propterea quæri debere exoticum,vel Rhodium aliquod,vel Lesbium.Id ſibi vtrumq; vt curant petiuit: vſurumq; eo dixit, quod ſeſe magis iuuiſſet. eunt, curant, inueniunt, adferunt. Tùm Ariſtoteles Rhodium petit, deguſtat, firmum, inquit,herclè vinum,& iucundum. Petit mox Lesbium: quo item deguſtato; vtrumq;,inquit, oppido bonum. ſed ἡδίων ὁ λέσβιος. *Id vbi dixit nemini dubium fuit,quin lepidè ſimul & verecundè,ſucceſſorem illâ voce ſibi,non vinum delegiſſet. Is erat è Lesbo Theophraſtus, homo ſuauitate inſigni linguæ pariter, atque vitæ.* Et verò fuiſſe hominem politiſſimi,atq; amœniſſimi ingenij, præter hæc, & quæ de eo apud veteres Scriptores leguntur, tùm etiam apud Athenæum libro 1. teſtatur Hermippus,qui ſcribit eum ad horam condictã, in peripaton ſcholam ſuam ire ſolitum,corporis nitido,&exacto cultu,illicq; ſedentem, cùm verba faceret,orationem ſic inſtituere, vt nullum geſtum prætermitteret,nullam figuram corporis argumento conuenientem.

Atque hinc tanta diſcipulorum multitudo, qui ad duo millia ſectabantur. Tamen vrbem deſerere coactus eſt cum cæteris Philoſophis, perlato Sophoclis decreto; quod haud multò pôſt Athenienſes agente Philone abrogarunt, & Scholæ Theophraſtum reſtituerunt: Author eſt Laertius, & Athenæus libro XIV. vixit annos LXXXV. & tamen de breuitate vitæ queſtus eſt, Cicero libro III. de finibus: *Theophraſtus autem moriens accuſaſſe naturam dicitur, quod ceruis, & cornicibus vitam diuturnam, quorum id nihil intereſſet: Hominibus, quorum id maxime interfuiſſet, tam exiguam vitam dediſſet; quorum ſi ætas eſſe potuiſſet longinquior, futurum fuiſſet, vt omnibus perfectis artibus, omni doctrinâ hominum vita erudiretur.* Plurima ingenij ſui monumenta reliquit; quorum pleraque temporum iniuria nobis ademit. Quæ ad medicinam ſpectant, ſunt hæc, *de plantis*: περὶ δακετῶν, καὶ βλητικῶν libri, quos Apuleius ſe legiſſe teſtatur.

Opportunum hic recenſere Medicos, doctrinâ quidem inſignes, ſed quorum in obſcuro fama eſt, niſi quà à Theophraſto celebrantur. Inter hos eſt Clidemus Platæenſis: Thraſias Montinenſis, qui ſe tale reperiſſe

Phar-

Pharmacum iactabat, quod ſine vllo doloris ſenſu lentam mortem inferret. Eiuſdem quoque dictum fertur, τὸ αὐτὸ τοῖς μὲν φάρμακον εἶναι, τοῖς δ' οὐ φάρμακον, *Idem alijs eſſe Pharmacum, alijs verò non eſſe Pharmacum*; quod experientiâ didicerat in Paſtore, qui faſciculum Ellebori ſine noxâ vorabat. His adiungitur Alexias Thraſiæ diſcipulus, Eudemus Pharmacopola; & Eudemus Chius qui poto Elleboro non commouebatur.

SERAPION.

PRIMVS omnium Serapion, vt refert Celſus, nihil rationalem diſciplinam pertinere ad Medicinam profeſſus, in vſu, & experimentis eam poſuit. Cuius opinionis ſectatores habuit, Apollonium, & Glauciam, alioſque non mediocres viros, qui ex ipsâ profeſſione ſe Empiricos appellauerunt. inter quos etiam fuit Heraclides Tarentinus, qui cùm primò dogmaticus eſſet, ad Empiricos poſtea ſe tranſtulit, in quorum ſectâ plurimum valuit. fuit alter Heraclides Erythræus Chryſippi, & Eraſiſtrati auditor, qui rationem doctrinæ ex definitionis reſolutione ſecutus eſt. Galenus cap. 1.

artiſ medicinal. His authoribus Empirica ſecta iactationem obtinuit: cuius ſtudioſos vocare licet experitiſſimos, quod nomen ſtultiſſimâ conſuetudine rationalis Medicinæ Profeſſoribus accommodamus.

CLEOPHANTVS.

CLEOPHANTI meminit Celſus lib. III. cap. XIV. *Quidam ex antiquioribus Medicis Cleophantus in hoc genere morborum, multò ante acceſsionem* (agit de febri tertianâ) *caput ægri multâ calidâ aquâ perfundebat, deinde vinum dabat. quod, quamuis pleraq; eius viri præcepta ſecutus eſt Aſclepiades, rectè tamen præterijt; eſt enim anceps.* Herbariæ peritum quoque fuiſſe colligas ex Plinij libro XX. capite V. & XXIV. cap. XVI.

NICANDER.

NICANDER Xenophane genitus, patriâ Colophonius, aut ſecundùm alios, Aetolus; Grammaticus, & Poëta, & Medicus, floruit temporibus Attali illius, qui Gallogræcos ſubegit. Varia eius ſcripta memorantur à Suidâ, *Theriaca, Alexipharmaca, Georgica, ἑτεροιουμένων libri* V. *curationum farrago, Prognoſtica Hippocratis verſibus heroicis conſcripta,*

ſcripta, de oraculis libri tres. Cicero *Georgica* laudat.1. de Oratore: *De rebus ruſticis hominem ab agro remotiſsimũ Nicandrum Colophonium Poëticâ quadã facultate, non ruſticâ ſcripſiſſe præclarè.* præter Alexipharmaca, & Theriaca nihil ad nos peruenit. extant lib. I Anthologiæ, cõpoſita in eius laudẽ epigrãmata:

Καὶ Κολοφὼν ἀρίδηλος ἐνὶ πολίεσσι τέτυκται
Δοιοὺς θρεψαμένη παῖδας ἀριστονόους.
Πρωτοτόκον μὲν Ὅμηρον, ἀτὰρ Νίκανδρον ἔπειτα
Ἀμφοτέρους Μούσαις οὐρανίῃσι φίλους.

Et Colophon alias inter caput exſerit vrbes
Quæ tulit aucta bonâ pignora mente duo.
Mæonidem primò, mox & Nicandron, vtrũq;
Muſarum ſacro pectora amica choro.

Φάρμακα πολλὰ μὲν ἐσθλά, μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρὰ
Νίκανδρος κατέλεξεν ἐπιστάμενος περὶ πάντων
Ἀνθρώπων, ἦ γὰρ Παιήονός ἐστι γενέθλης.

Pharmaca multa bona, & pariter mala, mixtaq́; multa
Nicander cecinit; quo non præſtantior alter
Eſt hominum: nam Pæonia eſt de ſtirpe creatus.

Παιήων, χείρων, Ἀσκλήπιος, Ἱπποκράτης τε
Τοῖς δ' ἐπὶ Νίκανδρος προφερέστερον εἴλαχεν εὖχος.

Pæon, Chiron, Aſclepius, Hippocratesq́;,
Supra hos Nicander maiorem eſt nactus honorẽ.

PERIAN-

PERIANDER.

NON eadem felicitate Poëticen tractauit Periander, qui cùm Medicus eſſet præſtantiſſimus, ſeque ad ſcribendos verſus contuliſſet, Archidamus Ageſilai filius hac ſententiâ compellauit: Τί δήποτε ὦ Περίανδρε ἀντὶ χαρίεντος ἰατροῦ, κακὸς ποιητὴς καλεῖσθαι ἐπιθυμεῖς. *Quid verò Periander pro bono Medico, malus Poëta vocari cupis?* Plutarchus in apophthegmat. Laconicis.

ASCLEPIADES.

MYRLAEA Bithyniæ ciuitas eſt, quam poſtea Nicomedes Apamiam à matre Apamâ nuncupauit. Hinc ortus Aſclepiades Patre Diotimo, temporibus Attali, atque Eumenis Regum Pergami. Præceptorem habuit Apollonium; cuius diſciplina in Grammaticum non contemnendi nominis euaſit, vt author eſt Suidas. Deinde ætate Magni Pompei Romam venit; primumque orandi magiſter, nec ſatis in arte eâ queſtuoſus, ſe repente ad medendi ſcientiam conuertit: Cuius decreta confeſſæ antiqui-

tiquitatis præiudicio firma, torrenti, ac meditatâ quotidie oratione labefactauit. Hinc Galenus libro III. de Criſibus, ἕξιν ἀνϑολογικὴν eum exercuiſſe refert. Celſus: *In duas partes medicina diuiſa erat, alijs rationalem artem, alijs vſum tantùm ſibi vindicantibus; nullo verò quoquam poſt eos, qui ſupra comprehenſi ſunt, agitante, niſi quod acceperat, donec Aſclepiades medendi rationem ex magnâ parte mutauit.* Et Cœlius Aurelianus libro de acutis, ſcribit eum ſemper in curandis ægris ambitione quadam, aliorum Medicorum præſidia, ſiue bona, ſiue mala rejicere conſueuiſſe. Non tamen videtur ea præſidia per ambitionem reieciſſe, aut quia eſſent ab alijs inuenta, ſed quod ſpreto omnium prope medicamentorum vſu in ſola viuendi ratione curam eſſe ponēdam cenſeret. Celſus libro V. cap. I. *Medicamentorum autem vſum ex magnâ parte Aſclepiades non ſine causâ ſuſtulit; & cum omnia ferè medicamenta Stomachum lædant, maliq; ſucci ſint, ad ipſius victus rationem potius omnem curam ſuam tranſtulit.* Sed operæpretium fuerit Plinij verbis exponere callidiſſimi viri artes, atque commenta, quibus nouationi alias inuiſæ gratiā authoritatemq; præſtruxerit. *Quinq;*

res

res maxime communium auxiliorum profeſſus, abſtinentiam cibi, alias vini, fricationem corporis, ambulationem, geſtationes: quæ cum vnuſquiſq; ſemetipſum ipſi præſtare poſſe intelligeret, fauentibus cunctis vt eſſent vera, quæ facillima erant, vniuerſum propè humanum genus circumegit, nō alio modo, quàm ſi cælo emiſſus adueniſſet. Et paulò pòſt: *Alia quoque blandimenta excogitabat, iam ſuſpendendo lectulos, quorum iactatu, aut morbos extenuaret, aut ſomnos alliceret, iam balineas, auidiſſima hominum cupidine, inſtituendo, & alia multa dictu grata, atque iucunda: magnâ authoritate, nec minore famâ, cum occurriſſet ignoto funeri, relato homine ab rogo, atque ſeruato; ne quis leuibus momentis tantam conuerſionem factam exiſtimet.* Quid autem fingi potuit grauius, ad augendam authoritatem, famamque Medici, qui copia dicendi inſtructus, tenuia, & inania verbis amplificare, atque oſtentatione gloriarum plenâ in vulgus ſpargere valebat? fabulam ſpecioſè narrat, Apuleius IV. floridorum. *Aſclepiades*, inquit, *ille inter præcipuos Medicorum, ſi vnum Hippocratem excipias, cæteris princeps, primus etiam vino opitulari ægris reperit; ſed dando ſcilicet in tempore. Cuius rei obſeruationem*

tionem probè callebat, vt qui diligentiſſimè animaduerteret venarum pulſus inconditos vel prauaros. Is igitur cum fortè in ciuitatem ſeſe reciperet, & rure ſuo ſuburbano rediret, aſpexit in pomerijs ciuitatis funus ingens locatum, plurimos homines ingenti multitudine, qui exequias venerant circumſtare, omnes triſtiſſimos, & obſoletiſſimos veſtitu. Propiùs acceſſit, vt etiam cognoſceret, more ingenij humani, quiſnam eſſet; quoniam percontanti nemo reſponderat: at verò ipſe aliquid in eo ex arte deprehenderat. Certè quidem iacenti homini, ac propè depoſito fatum attulit. Iam miſeri illius membra òmnia aromatis perſperſa, iam os ipſius vnguine odoro dilibutum, iam eum pollinctum, iam ſcenæ paratum contemplatus quam diligentiſſimè quibuſdam ſignis animaduertit. Etiam, atque etiam pertractauit corpus hominis: & inuenit in eo vitam latentem. Confeſtim exclamauit, viuere hominem: procul ergo facies abigerent, rogum demolirentur Cænam feralem à tumulo ad menſam referrent. Murmur interea exortum: partim medico credendum dicere, partim etiam irridere Medicinam: Poſtremò propinquis etiam hominibus inuitis, quod ne iam ipſi hæreditatem habebant, an quod adhuc illi fidem non habebant, ægrè tamen ac difficul-

 ter

ter Aſclepiades impetrauit breuem mortuo dilationem. Atque ita veſpillonum manibus extortum, velut ab inferis, poſtliminio domum retulit, confeſtimq́ ſpiritum recreauit. Plinius cùm loco iam allato, tum lib. VII. c. XXXVII. ita narrat, quaſi mortuo vitam reſtituiſſet. Celſus libro II. capite VI. mortuum falsò creditum, & ab Aſclepiade compertum: *Aſclepiades*, inquit, *funeri* obuius, intellexit eum viuere, qui efferebatur. Inter eius inuenta præcipuè ſecundo rumore acceptum, quod erat de vino tempeſtiuè exhibendo. Plinius libro XXIX. capite I. *Trahebat præterea mentes artificio mirabili, vinum permittendo ægris, dandoq́ tempeſtiuè, tum aquam frigidam.* Et in hanc rem librum conſcripſit: Idem author libro XXIII. capite I. *vnum de vino volumen condidit à ſe cognominatum.* His tantùm fama inclaruit, vt Mithridates Medicinæ auidiſſimus, eum ad ſe pellicere tentauit Sed Regis Legatos, & pollicitationes ſpreuit. vixit ad ſupremam ſenectam valetudine proſperrimâ. Nam ſponſionem feciſſe dicitur, ne Medicus haberetur, ſi quo vnquam morbo corriperetur. Plinius: *Summa fama Aſclepiadi Pruſienſi, conditâ nouâ ſectâ, ſpretis legatis, & pollicitationibus Mithri-*

Mithridatis Regis, repertâ ratione quâ vinum ægris medetur, relato à funere, & ſeruato: ſed maxime ſponſione factâ cum fortunâ ne Medicus crederetur, ſi vnquam inualidus vllo modo fuiſſet ipſe: & victor ſupremâ in ſenecta, lapſu ſcalarum exanimatus eſt. At Suidas extinctum peripneumoniâ tradit. Scripta eius à Galeno frequenter allegantur, libro II. de antidotis, & paſſim in libris de compoſitione medicamentorum.

THEMISON.

THEMISON Laodicæus, Aſclepiadis auditor: ſed mox illius placita mutauit, & ſectam condidit methodicorum, qui contendunt, nullius cauſæ notitiam, quidquam ad curationem pertinere; ſatis eſſe quædam morborum communia intueri. Celſus in prooemio, Plinius lib. XXIX, cap. I. Galenus tamen libro I. Methodi, capite IV. & VII. eum ſectæ methodicæ authorem agnoſcere non videtur; ſed ab eo Theſſalum nouæ ſectæ fundamenta mutuatum: τούτῳ γὰρ οὖν μόνῳ παραχωρεῖ Θέσσαλος, καθάπερ πατρὶ τέκνα γνήσια, τὰς πρωτώδεις ἐκείνας κοινότητας. *Illi enim ſoli concedit Theſſalus veluti*

Patri legitimas proles, monſtroſas illas communitates. At Seneca epiſtolâ XCV. ſectæ diuerſæ conditorem facit: *Adjice nunc, quod artes quoque pleraq́;, imo ex omnibus liberaliſſima habent decreta ſua, non tantùm præcepta; ſicut Medicina. Itaque alia eſt Hippocratis ſecta, alia Aſclepiadis, alia Themiſonis.* Quia verò vt notat Galenus libro I. methodi, methodicorum erat infelix in curando ſucceſſus, hinc fortè Iuuenalis Satyra X. imperito medico nomen Themiſonis affinxit;

Quot Themiſon ægros autumno occiderit vno.

Errat enim vetus Scholiaſtes, qui Themiſonem illius temporis Archiatrum facit. Primus autem Themiſon ſcripſit de tardis affectionibus; Cælius Aurelianus in præfatione: *Medicorum nullus ante Themiſonem tardarum paſſionum curationes principaliter ordinauit.* Laudantur etiam libri epiſtolarum ad Dimantem; & Paulus libro III. cap. XV. earum decimum citat. Hydromeli, & Oxymeli prorſus damnauit Plinius libro XIV. capite XVII: *Omnia à Themiſone ſummo authore damnata.* Vulgarem herbam plantaginem, tanquam inuentor, & volumine de ea edito celebrauit. Plinius libro XXV. capite

capite VIII. Quando, & quo genere mortis obierit, nondum comperi. Cælius à Cane morſum Hydrophobiam incurriſſe, & medicamentorum ope incolumen euaſiſſe tradit. Idipſum à Dioſcoride proditum libro VI. Τὸν Θεμίσωνα οἱ μὲν λέγουσι τῷ πάθει δηχθέντα περιπεσεῖν, καὶ σωθῆναι. Themiſonem ferunt demorſum in hunc affectum incidiſſe, & ſeruatum.

DIOSCORIDES.

Dioscorides patriâ Anazarbeus, author Herbariæ nobiliſſimus. Eſt autem Anazarba Ciliciæ ciuitas, quam poſtea Cæſaream auguſtam vocarunt. Stephanus: Ἀναζαρβὰ πόλις Κιλικίας, &c. ἀφ' ἧς ἦν Διοσκορίδης ὁ διασημότατος ἰατρός. Suidas autem falſus eſt & multos fefellit: nam cum plures fuerint Medici, nomine Dioſcoridis inſignes, vni duorum notas adſignauit: Διοσκορίδης Ἀναζαρβεὺς Ιατρὸς, ὁ ἐπικληθεὶς Φακᾶς, διὰ τοὺς τῆς ὄψεως φακούς. συνῆν δὲ Κλεοπάτρᾳ ἐπὶ Ἀντονίου. γέγραπται αὐτῷ βιβλία κδ΄, τὰ πάντα ἰατρικὰ περιβόητα. *Dioſcorides Anazarbeus Medicus, cognomento Phacas, id eſt lenticularis, quod lentigine vultus eius notaretur.*

Adfuit Cleopatræ ſub Antonio. Scripſit libros XXIV. *Medicos omnes, & celebres.* At Galenus Anazarbeum, & Lenticularem haud obſcurè diuerſos ſtatuit. nam Anazarbeum empiricæ ſectæ addictum, Lenticularem verò, rationalis Medicinæ authorem, & Herophili ſectatorem fuiſſe affirmat. Cæterùm in præfatione operis ſui ait ſe, quamuis militarem vitam duceret, omnem ætatem inueſtigandis herbarum viribus impendiſſe; ex narratione omnibus conſonâ, & indagatione rerum apud ſingulos vernacularum, ſua diligenter concinnaſſe. μετὰ πλείστης ἀκριβείας, τὰ μὲν πλεῖστα δι' αὐτοψίας γνόντες, *multâ diligentiâ, plurima inſpectione cognoſcentes.* Sed quod militiæ aſſuetus cultum orationis neglexerit, monet Lectorem ſuum, ne verbis facultatem æſtimet, ſed potius adhibitam rebus, cum peritiâ curam. Et Galenus libro XI. de facultate ſimplicium, ait eum non ſatis pernoſſe græcanicarum vocum ſignificata: At libro VI. in præfatione faſſus eſt omnium perfectiſſimè tractatum de materiâ medicamentorum confeciſſe: & libro IV. de compoſitione medicamenti ſecundum genera, nulli ſecundum eſſe ſcribit eorum, qui rem herbariam tractarunt. An verò

verò Dioſcoridem Plinius legerit, aut contra num à Plinio Dioſcorides ſua mutuatus ſit, Leonicenus & Pandulphus animosè diſceptant; quod in medio relinquimus; neque enim noſtrum tantas componere lites. Quamuis iſti non fuerit controuerſiæ locus, ſi authoritas Suidæ admittatur.

ARCHAGATHVS.

HIC omnium primus vſum medendi Romanos docuit. Plinius libro XXIX. capite I. *Caßius Hemina ex antiquis author eſt, primum è Medicis veniſſe Romam Peloponneſo Archagathum Lyſaniæ filium, L. Æmylio, M. Liuio Coſſ. anno vrbis* DXXXV. *Eiq; ius Quiritum datum, & tabernam in compito Acilio emptam ob id publicè.* Sed præter hunc Romæ ſcientiâ medendi floruerunt M. Cato, C. Valgius, Pompeius Lenæus; de quibus idem Plinius libro XXIV. capite II. *Primusq;, & diu ſolus idem ille M. Cato, omnium bonarum artium magiſter, paucis duntaxat attigit, Boum etiam medicinâ non omißâ. Poſt eum vnus illuſtrium tentauit C. Valgius, eruditione ſpectatus, imperfecto volumine ad D. Auguſtum, inchoatâ etiam præfatione religioſâ,*

vt omnibus malis humanis illius potiſſimùm Principus ſemper medicetur maieſtas. Antea condiderat ſolus apud nos Pompeius Lenæus, Magni libertus, quo primùm tempore hanc ſcientiam ad noſtros perveniſſe animaduerto.

ANTONIVS MVSA, ET EVPHORBVS. ET ALII NONNVLLI.

EADEM ætas clariſſimos Medicos tulit, qui artem ex Græciâ in Italiam tranſtuliſſe videntur. Ex his Antonius Muſa, & Euphorbus nobile par fratrum; quorum alter Auguſti Cæſaris, alter Iubæ Regis Medicus fuit. de priore Plinius libro xix. capite VIII. *Diuus certè Auguſtus lactucâ conſeruatus in ægritudine fertur, prudentiâ Muſæ Medici, quamobrem P. R. ſtatuam illi poſuit, iuxta ſignum Æſculapij.* Suetonius capite LIX. *Medico Antonio Muſæ, cuius operâ ex ancipiti morbo conualuerat, ſtatuam ære collato iuxta ſignum Æſculapij ſtatuerunt.* Horatius etiam meminit libro I. epiſtola XV:

————— Nam mihi Baias
Muſa ſupervacuas Antonius.

Euphorbus etiam inuentâ herbâ clarus. Plinius

Plinius libro v. capite I. *Iuba Ptolemæi Pater,qui primus Mauritaniæ imperauit ,ſtudiorum claritate memorabilior etiam, quam regno, ſimilia prodidit, de Atlante, præterquam gigni ibi herbam Euphorbiam nomine, ab inuentore, Medico ſuo appellatam : Cuius lacteum ſuccum, miris laudibus celebrat , in claritate viſus, contra ſerpentes, & venena omnia, priuatim dicato volumine.* Et iterum libro xxv. capite VII : *Inuenit & patrum noſtrorum ætate Rex Iuba, quam appellauit Euphorbiam,Medici ſui nomine,& fratris Muſæ, à quo Diuum Auguſtum conſeruatum indicauimus. Iidem fratres inſtituêre à balneis frigidâ multâ corpora adſtringi.* lib.xxIx. cum Muſa alios nominat. *Sed & illa* (Themiſonis placita) *mutauit Antonius Muſa eiuſdem authoritate Diui Auguſti, quem contraria Medicina graui periculo exemerat. multos prætereo Medicos, celeberrimoſq́. ex ijs Caßios, Carpitanos, Aruntios, Albutios, Rubrios. CCL. H - S. annuâ mercede ijs fuêre apud Principes.* hoc eſt ſex millia aureorum ducenti, & quinquaginta. Quintus verò Stertinius imputauit Principibus, quod H - S. quingenis annuis, id eſt, duodecim millibus aureorum, & quingentis contentus eſſet. Sexcena enim H - S. id eſt,

 quin-

quindecim millia, ſibi queſtu vrbis fuiſſe numeratis domibus oſtendebat. Stertinij fratrem Claudius pari mercede tenuit. Itaque hi fratres, quanquam operibus, & exornata Neapoli cenſum exhauſiſſent, tamen Heredi H-S C C C. ſiue 75000. aureorum reliquêre.

ARTORIVS.

NVLLVS omnino principum Romanorum Auguſto felicior. Atqui bonæ fortunæ partem non exiguam Medici impleuerunt. non repeto, quod de Antonio Muſa nunc propoſui: quod viuus antequam rerum potiretur, adhuc nutantibus in alterutram partem fatis in poteſtatem hoſtium non venerit, Medico debet. Valerius Maximus libro I. capite VII. *Quem locum vnde potiùs ordiar, quàm à Diui Auguſti ſacratiſſimâ memoriâ? Eius Medico Artorio ſomnum capienti nocte, quam dies inſecutus eſt, quo in campis Philippicis, Romani inter ſe exercitus concurrêre, Mineruæ ſpecies oborta præcepit, vt illum graui morbo implicitum moneret, ne propter aduerſam valetudinem proximo prælio non intereſſet: Quod cùm Cæſar audiſſet, lecticâ ſe*

ſe in aciem deferri iuſſit: vbi dùm ſupra vires corporis pro adipiſcenda victoria excubat, caſtra eius à Bruto capta ſunt. Quid ergo aliud putamus, quam diuino munere effectum, ne deſtinatum iam immortalitati caput, indignam cæleſti ſpiritu violentiam ſentiret. Breuiter Velleius libro II. *Cornu cui Brutus præerat, impulſis hoſtibus caſtra Cæſaris cæpit. nam ipſe Cæſar, etiamſi infirmiſſimus valetudine erat, obibat munia ducis, oratus etiam ab Artorio Medico, ne in caſtris remaneret maniſeſtè denunciatione quietis territo.*

CORNELIVS CELSVS.

AVRELIVS Cornelius Celſus, vir in omni diſciplinâ ſummus, Auguſti principatu, vel Tiberij floruit: nam Columella, qui ſcripſit potiente rerum Claudio, Celſi meminit, tanquam ſuperioris, eumque fuiſſe tradit, *non ſolùm Agricolationis, ſed vniuerſæ naturæ prudentem:* Quintilianus cenſuræ plerumque iniquæ compertus, vbi non abſunt motus æmulationis, aut frigidè laudat, aut etiam apertè reprehendit. libro IX. *eruditum virum* appellat libro XI. *Scripſit non parùm multa,* inquit, *Cornelius Celſus, Scepti-*

Scepticos ſecutus, non ſine cultu ac nitore. Libro XII. colligas fuiſſe Rhetorem, Hiſtoricum, Iuriſconſultũ; nam factâ harum diſciplinarum mentione, addit; *Quid plura? cùm etiam Cornelius Celſus, mediocri vir ingenio, non ſolum de his omnibus conſcripſerit artibus, ſed ampliùs rei militaris, & ruſticæ etiam, & Medicinæ præcepta reliquerit? dignus vel ipſo propoſito, vt eum ſciſſe omnia illa credamus.* Ex his ſuperſunt præcepta medendi, tantâ puritate Sermonis condita, vt meritò Latinus Hippocrates appelletur. Sed & iuris ciuilis authores in Pandectis aliquas eiuſdem ſententias retinuerunt. Ex quibus tam exactæ diligentiæ reliquijs iudicare poſſumus eum in omnibus diſciplinis ita verſatum ac ſi ex deſtinato ſingulas tantùm excoluiſſet.

AEMYLIVS MACER.

AEMYLIVS MACER, Poëta Veronenſis, Virgilio æqualis, & ijs Poëtis, quos Auguſti æuo Mœcenatis beneuolentia fouit. Scripſit de venenatis animalibus, de Herbis, & Auibus. Ouidius IV. Triſtium elegia IX.

Sæpe

Sæpe ſuas volucres legit mihi grandior æuo,
Quæq́ nocet ſerpens, quæ iuuet herba Macer.

Quinctilianus libro x. in cenſendo cum Lucretio componit. *Nam Macer & Lucretius, legendi quidem, ſed non vt phraſim, id eſt corpus eloquentiæ faciant: elegantes quiſq́ in ſua materia; ſed alter humilis, alter difficilis.* Euſebius prodidit eum paucis annis poſt Virgilium obijſſe. Quæ verò nunc de viribus herbarum carmina circumferuntur, non eſſe huius Macri, adeo eſſe manifeſtum puto, vt probatione non egeat.

VECTIVS VALENS.

A Plinio memoratur: *Exortus deinde eſt Vectius valens adulterio Meſſalinæ Claudij Cæſaris nobilitatus, pariterq́ eloquentiæ aſſectator. Is eam potentiam nactus, nouam inſtituit ſectam.*

XENOPHON.

XENOPHON natione Cous, è genere Aſclepiadarum; Claudij Cæſaris Medicus. Eius interceſſione Coi tributorum immu-

immunitatem obtinuerunt. Tacitus libro XII. annalium: *Rettulit dein de immunitate Cois tribuenda. Multaq́ ſuper antiquitate eorũ memorauit. Arginos vel Cœum Latonæ parentem, vetuſtiſſimos inſulæ cultores. mox aduentu Æſculapij artem medendi illatam, maximeque inter poſteros eius celebrem, nomina ſingulorum referens, & quibus quiſq́ ætatibus viguiſſent; Quin etiam dixit Xenophontem, cuius ſcientia ipſe vteretur, eadem familia ortum: precibuſq́ eius dandum, vt omni tributo vacui in poſterum Coi, ſacram, & tantùm Dei miniſtram inſulam colerent.*

CHARICLES.

CHARICLES Tiberio familiaris; de quo Tacitus libro V. *Erat Medicus arte inſignis, nomine Charicles, non quidem regere valetudinem Principis ſolitus, Conſilij tamen copiam præbere. Is velut propria ad negotia degrediens, & per ſpeciem officij manum complexus pulſum venarum attigit, neque fefellit. nam Tiberius incertum an offenſus, tantoque magis iram premens, inſtaurari epulas iubet, diſcumbitq́ vltra ſolitum, quaſi honori abeuntis amici tribueret. Charicles tamen labi ſpiritum,*

nec

nec vltra biduum duraturum Macroni firmauit. Paria Suetonius capite LXII. *Non quidem regere valetudinem Principis ſolitus*, inquit Tacitus, quod cum Suetonio conuenit cap. LXVIII. *Valetudine proſperrima vſus eſt; quamuis à trigeſimo ætatis anno, arbitratu eam ſuo rexerit, ſine adiumento, conſilioque Medicorum.*

EVDEMVS.

LIVIA ſoror Germanici, vxor Druſi Eudemo Medico vſa; qui per adulterium, in intimam amicitiam ſe inſinuauit. Et Seianus, cùm viam ſibi ad imperium ſtrueret, Druſumq́ue vellet amoliri, vxorem eius adulterio pellexit, & ad necem mariti impulit. Tacitus libro IV. annal. *Sumitur in conſcientiam Eudemus amicus, ac Medicus Liuiæ, ſpecie artus frequens ſecretis.* Plinius libro xxix. adulterium Liuiæ exprobrat. Iam verò, & adulteria, etiam in Principum domibus, vt Eudemi in Liuiâ Druſi Cæſaris.

ARCHI-

ARCHIGENES.

ARCHIGENEM nobilem fuiſſe Medicum oportuit. nam Iuuenalis eius nomen veluti *κατ᾽ ἐξοχὴν* paſſim vſurpat:

ſi non eget Anticyrâ vel
Archigine.

& Satyra VI:

Aduocat Archiginem oneroſaq́; pallia iactat.

Iterùm Satyra XIV:

Ocyus Archiginem quære, atq́; eme, quod Mithridates
Compoſuit.

Fuit & alius Archigenes Adriani Imp. æuo, Galeno æqualis. Hic Adriano vitæ pertæſo locum oſtendit ſub mamillâ, cui illitum venenum repente mortem acceleraret. In Xiphilino tamen pro Archigine, legitur Hermogenes. Sed Mercurialis libro I. variarum capite V. locum emendauit. Galenus libro de præcognitione ad Poſthumum, Archiginem in pulſuum ratione diligentem agnoſcit, & libro III. de pulſuum differentiâ, librum eius de pulſibus laudat. Et libro II. de locis affectis Archiginis doctrinam interpre-

pretatur, contra quam nonnulli eius ſectatores opinarentur.

THESSALVS.

THESSALVS natione Trallianus, Themiſonis placita ſecutus, Methodicorum ſectam magno ſeculi ſui applauſu condidit. In quo ſuperbiſſimus homo ſic gloriabatur, vt omnes ante ſe Medicos, & ipſum quoque Hippocratem, non contemneret modò, ſed etiam inſcitiæ argueret. Galenus libro I. methodi capite II. fragmentum affert epiſtolæ cuiuſdam ad Neronem, ex quo hominis effrænem impotentiam, velut ex vngue leonem dignoſcas. Παραδεδωκὼς νέαν αἵρεσιν, καὶ ὡς μόνην ἀληθῆ, διὰ τὸ τοὺς προγενεστέρους πάντας Ιατροὺς μηδὲν παραδοῦναι συμφέρον πρός τε ὑγιείας συντήρησιν, καὶ νόσων ἀπαλλαγήν. *Qui tradidi nouam ſectam, & ſolam veram, quia præcedentes Medici nihil tradidêre, quod vel conſeruationi ſanitatis, aut morborum curationi expediat.* Plinius libro XXIX. capite I: *Eadem ætas Neronis principatu ad Theſſalum tranſiuit delentem cuncta maiorum placita, & rabie quadam in omnis æui Medicos perorantem.* Non ille, vt Hippocrates, artem

longam eſſe cenſebat; Sed eam ſe ſex menſium ſpatio edocturum ſpecioſè pollicebatur; quo compendij lenocinio tantam ſibi àuditorum multitudinem conciliauit, vt, teſte Plinio, *Nullius Hiſtrionum, equarumq́, trigarij comitatior ingreſſus in publico eſſet.* Galenus etiam fatetur: καὶ τῷ μησὶν ἓξ ἐπαγγείλασθαι διδάξειν τὴν τέχνην ἑτοίμως, ἐλάμβανε μαθητὰς παμπόλλους. *& eo quod promitteret artem ſe edocturum ſpacio ſex menſium, plurimos diſcipulos habuit.* nam eiuſmodi ignauiæ inuitamento iuuenum ætas improuida plerumque ludificatur, non conſiderantium, nihil poſſe habere feſtinationis laudem, & perfectionis. Eleganter in hanc ſententiam Apuleius libro de Deo Socratis. *Nulla enim res poteſt eſſe eadem feſtinata ſimul, & exanimata. nec eſſe quidquam omnium, quod habeat & laudem diligentiæ ſimul, & gratiam celeritatis.* Duo tantùm morborum genera agnoſcebat, ex victus ratione nata, vt docet Galenus, ῥοῶδες, καὶ στεγνόν. *fluxum, & adſtrictum:* Quæ principia à Themiſone ſumpſit, cuius ſectatores etiam ætas Celſi tulit: *Et quidem,* inquit, *Medici ſeculi noſtri, ſub authore (vt ipſi videri volunt) Themiſone, contendunt nullius cauſæ notitiam quidquam ad curationes perti-*

pertinere, ſatiſq́; eſſe quædam communia morborum intueri. Siquidem horum tria genera eſſe; vnum adſtrictum, alterum fluens, tertium mixtum, &c. Et iſtud commune eſt ignorantiæ patrocinium nihil ad artem pertinere iactantis, quæ longo ſtudio comparanda forent. Itaque Theſſalus ſolidæ doctrinæ robore deſtitutus, omniſque Philoſophiæ expers in communitatibus neſcio quibus omne momentum collocabat. nam eâ conditione natus fuit, vt per hæc honeſtarum artium exercitia non potuerit educari; quod Galenus ei objicere non eſt oblitus. *κρῖναι ἀδυνάτον ἦν σοι τραφέντι μὲν ἐν γυναικωνίτιδι παρὰ πατρὶ μοχθηρῶς ἔρια ξαίνοντι. μὴ γὰρ ἀγνοεῖσθαι μοι δοκεῖ τὸ θαυμαστὸν σου γένος, καὶ τὴν ἀοίδιμόν σου παιδείαν. μηδ' ὡς ἐν κωφῷ θεάτρῳ λοιδορεῖν Ἱπποκράτην τε, καὶ τοὺς ἄλλους παλαιούς. ἀλλὰ τίς ὤν, καὶ πόθεν, ἐκ ποίου γένους, ἐκ ποίας ἀνατροφῆς, καὶ ποίας παιδεύσεως ἐπίδειξον πρότερον. fieri non poteſt vt recte iudices, cùm in Gynæcæo ſis educatus apud patrem ora lanas carpentem. Neque enim puto ignorari admirabile tuum genus, & celebrem inſtitutionem. neque vt Hippocrati, aliiſq́; antiquis, velut ex Theatro conuitia facias. Sed quis, vnde quo genere, quâ educatione, quâ diſciplina primùm de-*

monſtra. Sic paſſim Galenus Theſſalum, antiquorum placitis vbique repugnantem, ceu Marſyam Phæbo obſtrepentem tantùm non excoriat; & potiſſimùm in methodo medendi, atque in lib. de ſectis ad eos, qui introducuntur. Scripſit Theſſalus *libb. de communitatibus, Syncritica, contra Aphoriſmos Hippocratis.* Obijt Romæ; Sepultus viâ Appiâ: monumento Iatronicem ſe inſcripſit. Plinius: *Quali prudentiâ, ingenioq; æſtimari vel vno argumento abundè poteſt, cum monumento ſuo (quod eſt Appia via) Iatronicen ſe inſcripſerit.*

CRITIAS, ET CHARMIS.

PLINIVS: *Critias Maſſilienſis arte geminatâ, vt cautior religioſiorq; ad Syderum motus, ex ephemeride mathematicâ cibos dando, horasq; obſeruando, authoritate Theſſalum præceſſit. Nuperque centies H-S reliquit muris patriæ; mœnibus quoque alijs penè non minori ſummâ exſtructis.* Atque hac ratione, eius diuitiæ ad 4100000. aureorũ adſcendiſſent. Pergit deinde Plinius: *Hi regebant fata, cùm repentè ciuitatem Charmis ex eadem Maſſiliâ inuaſit, damnatus non ſolùm prioribus Medicis, verùm*

verùm & balineis : frigidaq́; etiam hybernis algoribus lauari perſuaſit, merſit ægros in lacus. Videbamus Senes Conſulares vſq; in oſtentationem rigentes.

ANDROMACHVS.

ANDROMACHVS Cretenſis, Neronis Ἀρχίατρος: nam hoc nomen ei tribuit Galenus libro I. de antidotis. Theriacæ compoſitio verſibus ad Neronem perſcripta celebratur à Galeno lib. de Theriacâ, & libro I. de antidotis: cuius hoc eſt initium:

Κλῦθι πολυθρονίου βελαρὸν σθενὸς Ἀντιδότοιο
Καῖσαρ ἀδειμάντου δῶτορ ἐλευθερίης.
Κλῦθι Νέρων &c.

Ex quibus liquet de eo rectè iudicaſſe Galenum in principio libri de Theriacâ ad Piſonem, cùm dixit, ἐντελῶς πεπαιδευμένον τὴν τέχνην, μὴ μόνον τῇ πείρᾳ τῶν ἔργων, ἀλλὰ καὶ τοῖς λόγοις τὸν ἐπ᾽ αὐτοῖς λογισμὸν ἀκριβῶς ἠσκημένον, *Non modò experientiâ rerum inſtructum, ſed etiam ſermonis elegantiâ ad rationem in ipſis exactè exercitum.*

ATHENAEVS.

ATHENAEVS Attalus recenſetur ab Authore introductorij inter Rationales princeps eorum ſectæ, qui Pneumatici vocãtur. & extat etiam Galeni adſtipulatio libro IV. de pulſuum differentijs. Idem in eius ſectatores frequenter inuehitur; vt I. de elementis, & I. de febrium differentijs.

EVAX.

EVAX Arabum Rex eam Medicinæ partem excoluit, quæ de ſimplicium viribus agit. Plinius libro XXIV. capite II. *Ex his Euax Rex Arabum, qui de ſimplicium effectibus ad Neronem ſcripſit.*

ANTONIVS CASTOR.

ANTONIVS CASTOR Herbariæ peritiſſimus; cuius ſcientiâ Plinius ſe profeciſſe fatetur. *Nobis*, inquit, *exceptis admodum paucis, contigit reliquas contemplari ſcientiâ Antonij Caſtoris, cui ſumma authoritas erat in eâ arte, noſtro æuo, viſendo hortulo eius in quo*

in quo plurimas alebat, *centeſimum ætatis annum excedens, nullum corporis malum expertus, ac ne ætate quidem, memoriâ, aut vigore concuſſus.* Plin. lib. XXV. cap. II.

LVPVS.

LVPI Macedonis meminit Galenus lib. I. de naturalibus facultatibus. Viguit enim propter nouitatis gratiam, quæ in tantum illi lenocinata eſt, vt veluti ex adytis oracula fundere crederetur.

ARETAEVS.

ARETAEVS natione Cappadox, Medicus inter antiquos longè doctiſſimus. Quâ verò tempeſtate vixerit, apud nullum Græcum, Latinúmve Scriptorem hactenus reperire, vel coniecturis aſſequi potui. Galenus nuſquam eius meminit. Paulus ſemel initio libri IV. Aetius autem frequentiùs eum nominat. Ionicâ vtitur Dialecto, & Hippocraticam ſequitur breuitatem cum grauitate coniunctam. Nulli ſectæ addictum ſe apertè demonſtrat. In quibuſdam etiam ab Hippocrate, Galeno, & Ariſtotele diſſen-

tit; & in nonnullis morbis propriam ſententiam, ab alijs quidem diſcrepantem, rationi tamen conſentaneam, ſcituque digniſſimam exponit. Habemus libros eius *de morbis acutis* II. *de eorundem curatione* II. *de diuturnis*, II. *& de curatione*, II. ſed mutilos, quos Paulus Craſſus latinè vertit.

THEON.

THEON Alexandrinus, primum Gymnaſtes, mox ad Medicinam tranſijt. Scripſit librum de exercitationibus, cuius teſtimonio ad ſuum inſtitutum Galenus vtitur, libro II. & III. de tuendâ ſanitate.

RVFVS EPHESIVS.

RVFVS hic Traiani æuo floruit. multa ſcripſit inter quæ memorantur à Suida, de victus ratione libri V. de diætâ nauigantium I. de vulnerarijs medicamentis I. de ficubus I. de antiquâ Medicinâ I. de lacte I. de vino I. de melle I. extant prætereа libri II. de partibus humani corporis, lib. I. de veſicæ renumque affectibus, fragmentum de medicamentis purgantibus.

PLI-

PLINIVS.

CAIVS PLINIVS Secundus, equeſtribus militijs functus, procurationes etiam ſplendidiſſimas integritate ſummâ obiuit. Sed nepotem eius facundiſſimè ſingula narrantem audiamus, *libro* III. *epiſtola* V. *ad Marcum*, ſiue *Macrum*. *Pergratum eſt mihi, quod tam diligenter libros auunculi mei lectitas, vt habere omnes velis, quæras quiq; qui ſint omnes. fungor indicis partibus, atque etiam quo ſunt ordine ſcripti, notum tibi faciam; eſt enim hæc quoque ſtudioſis non iniucunda cognitio. De iaculatione equeſtri vnus: hunc cum præfectus alæ militaret, pari ingenio curaq; compoſuit. De vitâ Pomponij ſecundi duo, à quo ſingulariter amatus, hoc memoriæ amici, quaſi debitum munus exoluit. Bellorum Germaniæ viginti, quibus omnia, quæ cum Germanis geſſimus, bella collegit. Inchoauit, cùm in Germaniâ militaret, ſomnio monitus; Adſtitit enim ei quieſcenti Druſi Neronis effigies, qui Germaniæ latiſſimè victor ibi perijt: commendabat memoriam ſuam, orabatq;, vt ſe ab iniuriâ obliuionis aſſereret. Studioſi tres in ſex volumina propter amplitudinem diuiſi, quibus oratorem*

ac incunabulis inſtituit, & perfecit. Dubij ſermonis octo ſcripſit, ſub Nerone nouiſsimis annis, cùm omne ſtudiorum genus paulò liberius, & erectius periculoſum ſeruitus feciſſet. A fine Aufidij Baſsi triginta vnus. Naturalium Hiſtoriarum triginta ſeptem: opus diffuſum, eruditum, nec minus varium quam ipſa natura. miraris quod tot volumina, multaq; in his tam ſcrupuloſa homo occupatus abſoluerit: magis miraberis, ſi ſcieris illum aliquandiu cauſſas actitaſſe. deceſsiſſe anno ſexto, & quinquageſimo. medium tempus diſtentum, impeditumque, quà officijs maximis, quà amicitiâ Principum egiſſe pernoſcitur. Sed erat acre ingenium, incredibile ſtudium, ſumma vigilantia. Lucubrare à volcanalibus incipiebat, non auſpicandi causâ, ſed ſtudendi, æſtate ſtatim à nocte multâ, hyeme verò ab hora ſeptima, vel cùm tardiſſimè octaua, ſæpe ſexta. Erat ſanè ſomni parciſsimi: nonnunquam etiam inter ſtudia inſtantis, & deſerentis. Ante lucem ibat ad Veſpaſianum Imperatorem; nam ille quoque noctibus vtebatur. inde ad delegatum ſibi officiũ reuerſus domum, quod reliquum erat temporis, ſtudijs reddebat. Poſt cibum ſæpe (quem interdiu leuem & facilem veterum more ſumebat) æſtate ſi quid ocij iacebat in ſole, liber legebatur. adno-

adnotabat, excerpebatq́ nihil enim legit, quod non excerperet. Dicere enim ſolebat, Nullum eſſe librum tam malum, vt non aliqua parte prodeſſet. Poſt ſolem plerumq́ frigida lauabatur, deinde guſtabat, dormiebatq́ minimum. Mox quaſi alio die, ſtudebat in cœnæ tempus: ſuper hanc liber legebatur, adnotabatur, & quidem curſim. Memini quendam ex amicis, quùm Lector quædam perperam pronuntiaſſet, reuocaſſe, & repeti coëgiſſe, huic Auunculum meum dixiſſe, Intellexeras nempe? quùm ille annuiſſet, cur ergo reuocabas? decem ampliùs verſus hac tuâ interpellatione perdidimus. Tanta erat parſimonia temporis. Surgebat æſtate, à cœna, luce: Hyeme intra primam noctis. & tanquam aliquâ lege cogente hæc inter medios labores vrbisq́ fremitum. In ſeceſſu ſolum balinei tempus ſtudijs eximebatur. Cùm dico balinei, de interioribus loquor; nam dum diſtringitur, tergiturq́, audiebat aliquid, aut dictabat. In itinere, quaſi ſolutum cæteris curis, huic vni vacabat, ad latus notarius cum libro, & pugillaribus; cuius manus hyeme manicis muniebantur, vt ne cæli quidem aſperitas vllum ſtudij tempus eriperet: qua ex cauſa Romæ quoque ſellâ vehebatur. Repeto me correptum ab eo cur ambularem: Poteras, inquit, has horas non perdere.

nam

nam perire omne tempus arbitrabatur, quod ſtudijs non impertiretur. Hac intentione tot iſta volumina peregit, electorumq; commentarios centum ſexaginta mihi reliquit, opiſthographos quidem, & minutiſsimis Scriptos, qua ratione multiplicatur hic numerus. Referebat ipſe, potuiſſe ſe, cùm procuraret in Hiſpaniâ, vendere hos commentarios Laertio Licinio, quadringentis millibus nummûm; & tunc aliquanto pauciores erant. Nonne videtur tibi, recordanti quantum legerit, quantùm ſcripſerit, nec in officijs vllis, nec in amicitiâ Principum fuiſſe? Rurſus cum audis quid ſtudijs laboris impenderit, nec ſcripſiſſe ſatis, nec legiſſe? Quid eſt enim, quod non aut illæ occupationes impedire, aut hæc inſtantia non poſſet efficere. Libro VI. epiſtolâ XVI. ad Tacitum eius mortem deſcribit. *Erat Miſeni, claſſemq; imperio præſens regebat. Nono Cal. Septemb. horâ diei ferè ſeptimâ, Mater mea indicat ei, apparere nubem inuſitatâ & magnitudine, & ſpecie. vſus illo ſole mox frigidam guſtauerat iacens, ſtudebatque, poſcit ſoleas, aſcendit locum, ex quo maximè miraculum illud conſpici poterat. Nubes (incertum procul intuentibus ex quo monte, veſuuium fuiſſe poſtea cognitum eſt) oriebatur, cuius ſimilitudinem, & formam non alia magis arbor,*

arbor, quam pinus expreſſerit. nam longiſſimo velut trunco elata in altum, quibuſdam ramis diffundebatur. Credo quia recenti ſpiritu euecta, deinde ſeneſcente eo deſtituta, aut etiam pondere ſuo victa, in latitudinem vaneſcebat: candida interdum, interdum ſordida, & maculoſa, prout terram cineremque ſuſtulerat. Magnum propiusq́; noſcendum, vt eruditiſſimo viro viſum. Iubet Liburnicam aptari: mihi ſi venire vnà vellem facit copiam: reſpondi ſtudere me malle: & fortè ipſe quod ſcriberem dederat. Egrediebatur domo, accepit codicillos: Retinæ claſſiarij imminenti periculo exterriti, (nam villa eius ſubiacebat, nec vlla niſi nauibus fuga) vt ſe tanto diſcrimine eriperet, orabant. Non vertit ille conſilium, ſed quod ſtudioſo animo inchoauerat, obit maximo. deducit quadriremes: aſcendit ipſe non Retinæ modò, ſed multis (erat enim frequens amœnitas oræ) laturus auxilium. properat illuc vnde alij fugiunt, rectumq́; curſum, recta gubernacula in periculum tenet, adeo ſolutus metu, vt omnes illius mali motus, omnes figuras, vt deprehenderat oculis, dictaret, enotaretque. Iam nauibus cinis inciderat, quò propiùs accederet, calidior, & denſior, iam punices etiam, nigrique, & ambuſti, & fracti igne lapides: iam vadum

ſubitum,

ſubitum, ruinaq́; montis littora obſtantia: cunctatusq́; paululum an retrò flecteret, mox gubernatori, vt ita faceret, monenti, fortes, *inquit*, fortuna iuuat. Pomponionum pete. *Stabijs erat, diremptus ſinu medio. nam ſenſim circumactis, curuatisq́; littoribus mare infunditur. Ibi quanquam periculo nondum appropinquante, conſpicuo tamen, & cùm creſceret proximo, ſarcinas contulerat in naues, certus fugæ, ſi contrarius ventus reſediſſet: quo tunc auunculus meus ſecundiſsimo inuectus complectitur trepidantem, conſolatur: hortatur: vtque timorem eius ſuâ ſecuritate leniret, deferri ſe in balineum iubet, lotus accubat, cœnat, atque hilaris, aut quod eſt æquè magnum, ſimilis hilari. Interim è Veſuuio monte pluribus locis latiſsimæ flammæ, altaq́; incendia relucebant, quorum fulgor, & claritas tenebris noctis excitabatur. Ille agreſtium trepidatione ignis relictas, deſertasq́; villas per ſolitudinem ardere in remedium formidinis dictitabat: tum ſe quieti dedit; & quieuit veriſsimo quidem ſomno; nam meatus animæ, qui illi propter amplitudinem Corporis grauior, & ſonantior erat, ab ijs, qui limini obverſabantur, audiebatur. Sed area, ex quâ diata adibatur, ita iam cinere mixtisque pumicibus oppleta ſurrexerat, vt ſi longior in cubicu-*

cubiculo mora eſſet, exitus negaretur. Excitatus procedit, ſeque Pomponiano, cæteriſq; qui peruigilarant reddit. In communem conſultant, an intra tecta ſubſiſtant, an in aperto vagentur; nam crebris, vaſtiſq; tremoribus tecta nutabant, & quaſi emota ſedibus ſuis, nunc huc, nunc illuc abire, aut referri videbantur. Sub dio rurſus, quanquam leuium, exeſorumque pumicum caſus metuebantur, quod tamen periculorum collatio elegit, & apud illum quidem ratio rationem, apud illos timorem timor vicit: Ceruicalia capitibus impoſita linteis conſtringunt Id munimentum aduerſus decidentia fuit tam dies alibi, illic nox omnibus noctibus nigrior, denſiorque, quam tamen faces multæ, variaque lumina ſoluebant. Placuit egredi in littus, & è proximo aſpicere ecquid iam mare admitteret, quod adhuc vaſtum & aduerſum permanebat. Ibi ſuper abiectum linteum recubans, ſemel, atque iterum frigidam popoſcit, hauſitq; deinde flammæ, flammarumq; prænuncius odor ſulphuris, alios in fugam vertunt, excitant illum. Innixus ſeruis duobus aſſurrexit, & ſtatim concidit, vt ego coniecto, craſſiore caligine ſpiritu obſtructo, clauſoque ſtomacho, qui illi natura inualidus, & anguſtus, & frequenter interæſtuans erat. vbi dies redditus, ab eo quem nouiſſi-

nouiſſimè viderat, tertius, corpus inuentum eſt integrum, illæſum, opertumque vt fuerat indutus: habitus corporis, quieſcenti, quàm defuncto ſimilior.

SORANVS.

DVOS fuiſſe SORANOS, diſcimus ex Suidâ: quorum alter, natione quidem Epheſius, Patrem habuit Menandrum, Matrem verò Phæben: ſed Alexandriæ primùm egit, deinde ſe Romam contulit, ibique principatu Traiani, & Adriani Medicinam exercuit. Alter autem & Epheſius, ſed iſto poſterior, libros edidiſſe fertur IV. de morbis mulierum. I. de vita & ſectis Medicorum; aliaque opera numero decem memorantur. Cæterùm ad vtrum horum ſint referenda, quæ Cælius Aurelianus tradit in præfatione, haud ſatis liquet; vbi ait Soranum diuturnorum morborum exactam tractationem inſtituiſſe. Libro autem III. capite III. ait ambos fuiſſe Theſſali ſectatores.

GALE-

GALENVS.

CLAVDIVS GALENVS, Pergamo Aſiæ minoris ciuitate nobili ortus, patrem habuit Niconem, virum facultatib. affluentem, & omnibus diſciplinis inſtructum. nam *libro* VIII. *methodi, & libro de cibus boni vel mali ſucci.* Patrem ſuum Geometriæ, Architectonicæ, Aſtronomiæ, Arithmeticæ, Logices ſtudijs plurimùm valuiſſe teſtatur. Et alio loco, ſummæ felicitati ſibi ducit, quod Patrem ab omni iracundiâ alienum, iuſtiſſimum, frugaliſſimum, humaniſſimumque nactus fuerit. Matrem verò habuit, inſigni quidem honeſtate matronam, & officij ſui diligentem; ſed adeo moroſam, atque iracundam, vt etiam morderet interdum ancillas, & crebrò cum Patre contenderet; atque inſtar Xantippes iurgaret. Igitur diſciplinâ Patris ad annum XV. inſtitutus, ad Philoſophos tranſijt, eorumque ſectas omnes luſtrauit, à Philopatore Stoicam, à Caio Platonicam, ab Aſpaſio Peripateticam, & Athenis Epicuream edoctus. Cùm annum ageret ætais XVII. Pater euidenti inſomnio monitus, vt eſt

 prodi-

proditum *libro de præcognitione ad Poſthumum*, & IX. *methodi*, ad medendi artem tranſtulit, quaſi præſagiente iam tum animo futuram claritatem, quam tot doctrinæ monumentis ſibi comparauit. Itaque annum agens XIX. Præceptori ſe tradidit ex Athenæi ſectatoribus cuipiam, vt illius de elementis ſententiam diſceret. Sed vbi cognouiſſet eius in Logicâ contemplatione ignorantiam, tum etiam quod Athenæi ſententiam pugnare ſecum videret, eo deſerto alios ſequi conſtituit. Præceptores inde habuit primò Satyrum, deinde Pelopem apud Smyrnam. Fuit ille diſcipulus Quinti, cuius ſæpè meminit Galenus: Hic Nemeſiani, qui & ipſe inter auditores Quinti celebratur. Poſt hos Nemeſiano Corinthi operam dedit. Vſus eſt etiam Feciano præceptore, qui & ipſe Quinti fuit diſcipulus, & cum eo diu vixit, vti & Satyrus. Cuius rei meminit *Commentario* I. *libri* III. *de morbis vulgaribus*. Tanti autem Quintum fecit, vt Corinthum, Alexandriam & alia loca perluſtrarit, vbi aliquem eſſe Quinti diſcipulũ percepiſſet. Et tamen *libro de præcognitione*, Quintum, ait, Româ pulſum, quod ægros occidere diceretur. Sed & Pergami Stratonicum

nicum Sabini Hippocratici diſcipulum, præceptorem habuit, quod in *libello de atrâ bile* teſtatus eſt; Smyrnæ verò Albinum Platonicum. His occupatus vſque ad annum ætatis XXVIII. in Patriam redijt, vbi omnia, quæ paſſim cognouerat, medicamenta medicis amicis diuiſit, vt eorum effectus vſu confirmaret. Ita refert ipſe, *libro* III. *de compoſitione medicamentorum ſecundum genera*. Deinde viſum ciuitatis eius Pontifici Curationem gladiatorum Galeno committere, adhuc Iuueni; quippe annum XXIX. vix attigerat: quod munus feliciſſimè obiuit: nam ante eum nemo rariora funera habuit. Cæterùm non diu in patriâ moratus, ortâ iſthic ſeditione, Romam contendit, vbi plurimorum amicitiam, & præſtantiam virorum nactus eſt; Eudemi Peripatetici, Alexandri Damaſceni, Sergij Pauli Conſularis, & non multo pòſt Vrbani Prætoris, Boethi, Barbari Auunculi Lucij Imp. quos etiam Anatomen ſe docuiſſe gloriatur *libro de præcognitione ad Poſthumum*. Et eodem tempore adminiſtrationum Anatomicarum libros primùm adornauit. Sub hæc ſcribendo & curando tantam apud Romanos ſibi famam peperit, vt

ab omnibus non tantùm παραδοξόλογος, ſed etiam παραδοξοποιὸς appellaretur. Et Eudemus ab eo ſeruatus crebris ſermonibus in vulgum iactabat vaticinari Pythium Apollinem ægrotantibus voluiſſe per os Galeni, & quibus remedijs ad ſanitatem reuocari, & quâ die perfectè liberari deberent. Augebatur indies admiratio, cùm Boethus, & Seuerus, qui tum Conſul erat, eum in interiorem Imperatoris Antonini amicitiam inſinuare decreuerunt. Sed veritus ne patriâ cogeretur perpetuo carcere, ſi Imperatori innotuiſſet, rogauit vt parumper ab iſto officio deſiſterent; ſe tempus indicaturum, quo apud Imperatorem commendari vellet. Igitur exactis Romæ tribus annis, vt audiuit ſeditionem Pergami compoſitam, in Campaniam receſſit, vno ſeruorum domi relicto, cui rei familiaris negotia commendarat. Atque inde magnis itineribus in Græciam properauit. Verùm tempore haud ita multo pòſt, cùm ab expeditione Parthicâ Lucius redijſſet, bellumque contra Germanos ſuſcepiſſet, Amicis occaſio de Galeno apud Imperatores loquendi fuit. nam cùm ſermo de hiſce incidiſſet, qui non verbis, ſed operibus artem medicam & Philoſophiam

Digitized by Google

ſophiam exercerent; non pauci eorum, qui cum Imperatoribus erant, qualem requirerent, talem eſſe Galenum aſſeuerarunt. Quare cum iam ex vrbe in hoſtem mouiſſent, ac dum Aquileiæ hybernarent, militemq́ue cogerent, per Legatos ad ſe vocarunt. hac neceſſitate compulſus Romam iterùm venit. Defuncto autem Lucio Antoninus aduerſus Germanos cum exercitu profecturus modis omnibus ſecum abducere Galenum laborabat. Sed Aeſculapij monitu eum arbitrio ſuo tandem reliquit. Intereà nactus ocium varios libros de re medicâ, & Philoſophiâ conſcripſit, quos reuerſo Romam Principe legendos amicis efflagitantibus permiſit. Antonino laborante, & cunctis de morbi genere dubitantibus, Galenus,explorato venarum pulſu,affectum cognouit,eiuſque ſtomachum à cibo, priuſquàm excernatur,æſtuante vexari pronunciauit: quod verum adeo prudentiſſimus Imperator intellexit,vt in hanc vocem eruperit, ter exclamans, *αὐτό ἐςιν, αὐτὸ τȣ̃το, ὃ εἶπες,ἐςιν*; palamq́ue faſſus ſit vnum eſſe medicum inter omnes principem, eundemq́ue ſolum Philoſophum. Commodo quoque Antonini filio contra præſcriptum Theſſali

& methodicorum perſanato, Fauſtina mater Galenum manu apprehendens exiuit; atque in medicum quendam ex Comitibus ſuis methodicum iocata; *Galenum hunc vides*, inquit, *non verbis, ſed operibus vos methodicos expugnare*. Sed nimis longum foret ſingula perſequi, quæ paſſim de ſe ipſe ſuis operibus inſeruit. nam ſi quid bene fecit, eius gloriam prædicatione non fraudauit; ita hominem non planè Stoicum fuiſſe exiſtimare debeamus. Cæterùm Pergami conſenuit; vbi eum exceſſiſſe ferunt, cùm annos centum & quadraginta vixiſſet. Sed toto errat cælo Cælius Rhodoginus, qui ſcribit illum citra vllam omnino affectionem ad decrepitam ſenectutem perueniſſe. nam anno ætatis XVIII. inuitatus ab æqualibus, liberaliore fugacium fructuum eſu tam acutum morbum contraxit, vt ſanguinis miſſione opus habuerit. Poſt obitum Patris vnà cum æqualibus ſuis iterum eiuſmodi fructibus vſus eodem remedio conualuit. Poſtea vſque ad XXVIII. ætatis annum, tantummodo vnum ſine morbo tranſegit. Ac cùm periculum eſſet ne abſceſſus in ea parte decumberet, qua iecur ſepto tranſuerſo committitur, ab vniuerſis fructibus

bus abſtinere decreuit, præterquam ab vuis exactè maturis,& ficubus mediocriter ſumptis. *Atque ita*, inquit,libro de cibis boni, & mali ſucci, *concoctionis*, *& exercitationis æqualitate multos iam annos ad hunc vſque diem nullo morbo obnoxius vixi*. Tametſi alibi ſcribit ſe ob nimium literarum ſtudium aliquando in diariam incidiſſe. & *lib. de locis affectis*, aliarum meminit ægritudinum cum quibus aliquando fuerit conflictatus. Cæterùm vir omni laudum genere digniſſimus,quas etiam ſecuti ſcriptores certatim in eum plenoore congeſſerunt. Quin etiam Euſebius *libro* v. *Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ*, *càpite vltimo*, à quibuſdam pro Deo cultum tradidit.

SCRIBONIVS.

SCRIBONIVS LARGVS vetuſtiſſimus Medicus non multis ab hinc annis Ruellij operâ è tenebris erutus, & diligenter caſtigatus. Sub Tiberio Cæſare, quantum ex ipſius fomentario conjicere licet, Sed tamen locus in epiſtola ad Calliſtum non ſapit Tiberij æuum; *vt primùm enim potuiſti,non es paſſus ceſſare tuæ erga me pieta-*

tus officium, tradendo ſcripta mea latina medicinalia, *Deo noſtro Cæſari*. nam Tiberius eiuſmodi Adulationes compeſcuit. De compoſitione medicamentorum librum ſcripſit, in quibus emplaſtra, & confectiones efficaciſſimæ continentur.

Caelivs Avrelianvs.

In Lucem ſuperioribus annis prodijt Cælius Aurelianus, operâ Ioannis Sichardi, cuius hæc de illo verba ſunt in epiſtolâ nuncupatoriâ. *De eius vita,* inquit, *non ſatis quod in præſentia dicam, occurrit, niſi quod ex cognomento ſatis diuinare licet Afrum fuiſſe; quod ipſum per ſe, vel tacente me, ipſa ſatis dictio clamat, &c.* Edidit autem, vt ipſe teſtatur, libros Reſponſionum, in quibus Chirurgiam tractat. Item de paſſionibus mulierum. Græcarum epiſtolarum libros aliquot ad Prætextatum. Libros adiutoriorum. Libros Pharmacorum. Celerum quoque paſſionum libros, qui tamen interciderunt.

Sere-

SERENVS.

QVINTVS SERENVS Sammonicus, Poëta, & Medicus variæ eruditionis, vt præcepta Medicinæ heroico verſu conſcripta teſtantur. Gordiani Præceptor fuit. Capitolinus de Gordiano verba faciens: *Sereno Sammonico qui Patri eius amiciſſimus, ſibi autem Præceptor fuit, nimis acceptus, & charus; vſque adeo vt omnes libros Sereni Sammonici Patris ſui, qui cenſebantur ad* LXII. *millia Gordiano minori moriens ille relinqueret: quod eum ad cælum tulit: Siquidem tantæ Bibliothecæ copiâ, & ſplendore donatus in famam hominum literatorum decorè peruenit.* Multa alia ſcripſiſſe videtur, vt de piſcibus: argumento eſt Macrobius libro III. Saturnal. capite XVI. vbi accipenſerem Traiani æuo, ex Plinij libro IX. capite XVII. nullo in honore habitum fuiſſe contendit; & vtitur Sammonici authoritate. *Nam temporibus,* inquit, *Seueri Principis, qui oſtentabat duritiem morum, Sammonicus Serenus, vir vt eo ſeculo doctus, cùm ad Principem ſuum ſcriberet, faceretque de hoc piſce ſermonem, verba Pliniy, quæ ſuperiùs poſui, præmiſit.* Et

capite XVII. eiuſdem libri, partem diſſertationis adducit ſuper lege Fanniâ. Terentianus nobilem Poëtam inter Lyricos ſtatuit. Lilius Gyraldus alium fuiſſe Quintum Serenum, & alium Sammonicum Serenum contendit: quod, vt in medio relinquamus, Certe Sammonicus Serenus, à portento hominis, & bonorum hoſte Caracallâ interemptus eſt. Spartianus: *Cædes deinde in omnibus locis, & in balneis factæ, occiſique nonnulli etiam cœnantes; inter quos etiam Sammonicus Serenus, cuius libri plurimi ad doctrinam extant.*

ZENO.

ZENO Iuliani principatu Medicus apud Alexandrinos excellentiſſimus; quem religionis causâ pulſum Imperator interceſſione Alexandrinorum ab exilio reuocauit. Extat ad eum epiſtola Iuliani, quem libens adſcribo, quod in eâ viri laudes cumulatè proponantur.

Πολλὰ μὲν καὶ ἄλλα σοι μαρτυρεῖ, καὶ τῆς ἰατρικῆς τέχνης εἰς τὰ πρῶτα ἀνήκειν, καὶ ἤθους, καὶ ἐπιεικείας, καὶ βίου σωφροσύνης συμφώνως πρὸς τὴν τέχνην ἔχειν. νῦν δὲ προσῆλθε τὸ κεφάλαιον τῆς μαρ-

τῆς μαρτυρίας. τὴν τῶν Ἀλεξανδρέων πόλιν ἀπὼν ἐπιστρέφεις εἰς σεαυτόν. τοσοῦτον αὐτῇ κέντρον, ὥσπερ μέλιττα, καταλέλοιπας. εἰκότως. καλῶς γὰρ εἰρῆσθαι καὶ Ὁμήρῳ δοκεῖ,

Εἷς Ἰητρὸς ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων.

σὺ δὲ οὐκ ἰατρὸς ἁπλῶς, ἀλλὰ καὶ διδάσκαλος τοῖς βουλομένοις τῆς τέχνης. ὥστε σχεδὸν ὃ πρὸς τοὺς πολλούς εἰσιν οἱ ἰατροί, τοῦτο ἐκείνοις σύ. λύει δέ σοι τὴν φυγὴν καὶ ἡ πρόφασις αὐτή, καὶ μάλα λαμπρῶς. εἰ γὰρ διὰ γεωργίας μετέστης, καὶ δικαιότατα ἂν ὀπίσω κατέλθοις. κάλιθι τοίνυν ἐπίτιμος, καὶ τὸ πρότερον ἔχων ἀξίωμα. καὶ ἡμῖν κοινὴ πρὸς ἀμφοτέρους χάρις ἀντικείσθω, Ἀλεξανδρεῦσι μὲν Ζήνωνα, σοὶ δὲ ἀποδοῦσα τὴν Ἀλεξάνδρειαν.

Cum multæ aliæ res teſtificantur te ad ſummum Medicæ artis gradum perueniſſe, eiúſque parem morum, ac vitæ temperantiam adiunxiſſe: tum verò hoc tempore maximum omnium teſtimonium acceſſiſſet, quod Alexandriam abſens vniuerſam in te conuertis: tantum ei tuo deceſſu aculeum, tanquam apis, reliquiſti. Præclarè enim Homerus:

Vir medicus par eſt multorum millibus vnus.

Tu verò non tantùm Medicus es, verùm etiam magiſter omnibus, qui eius artis ſtudio ducuntur: vt propemodum quod Medici ſunt populo,

hoc

hoc ipſe ſis Medicus. Hæc autem cauſa te liberat exilio, & quidem magnificè. Nam ſi propter agriculturam Alexandriâ exceßiſti, non iure exceßiſti: Iuſtißimè autem reuerti potes. Redi igitur cum honore, & dignitate priſtinâ: nobis autem gratia ſit apud vtrumque, & quia Zenonem Alexandrinus, & quia Zenoni Alexandriam reſtituimus. Hactenus Imperator, vt non tàm reſtituti, quàm laudati Zenonis monumentum poſteritati voluiſſe relinquere videatur.

ORIBASIVS.

ORIBASIVM *Patria pergamus tulit; qui natalis gloriam eius auxêre, perinde vt nati Athenis, patriæ gloriâ ſplendorē aſſequuntur, eloquentiâ clari habeantur, famâ ferente Atticam eſſe Muſam, & domeſticum ornamentum. Honeſtis natus parentibus à pueritiâ clarum nomen obtinuit, ob hauſtam liberalium artium doctrinam, quæ ad virtutem conducit, & momentum omne confert. Iuueniles annos ingreſſus auditor fuit Zenonis, Magni Condiſcipulus, quem à tergo reliquit cum reddendis ſenſis luctantem, qua in re ipſe præcellebat. Itaque ad artis Medicæ ſummum faſtigium curriculo*

culo ibat, patrium Deum imitatus, quatenus mortali Deum imitatione aſſequi licet. Cùm verò illuſtris eſſet eius ab Adoleſcentiâ fama, Iulianus ad Cæſaris titulum viam affectans, artis nomine ſecum abripuit medicum: qui tantum in cæteris quoque excelluit virtutibus, vt ad imperium etiam Iulianum euexerit, quæ res in Annalium hiſtoriâ exactiùs perſcripta eſt. Verùm vt ſine criſtâ non eſt alauda (quod loquitur paræmia) ita non caruit inuidiâ Oribaſius. Siquidem propter famæ celebritatem Imperatores Iulianum ſubſecuti, facultates illi omnes eripuerunt, & de medio tollere conati, ſuperſederunt incepto: facinus tamen pudendum, atque indignum alioqui fecēre, inter Barbaros eum ad necem exponentes, quomodo Athenienſes commutatis teſtulis, optimum quemque & virtute præditum exilio multabant. At his leges Patriæ dictabant, permittebantque ſolum ciuitate expellere, nihilque accedebat aliud: Imperatores vero exilio inſuper adiecerunt, quod immaniſſimæ Barbarorum genti in manus traditus ſit: quare quid aliud, quàm ſuorum conſiliorum participes illos fecēre. Oribaſius in hoſtilem terram expoſitus, edidit virtutis eximiæ ſpecimen, non locorum ſpacio definitæ, non domicilijs circumſcriptæ, ſed quæ

animi

animi conſtantiam, & firmitatem oſtendit, quæ per ſe ipſa actuoſa efficacitatem ſuam prodit, vbi tandemcumque extiterit; quemadmodum numeri ſolent, & artes Mathematicæ. Statim namque apud Barbaros Reges clarum conſecutus nomen, inter primores habitus eſt, excitato etiam in Romani imperij finibus ingente ſui deſiderio: Barbaris vt numen quoddam eum colentibus, dum hos longis morbis implicitos ſeruat, illos à mortis veſtibulo reuocatos educit: nimirum prædicta iam calamitas, fortunarum, felicitatisq; omnis ianuam, & occaſionem illi aperuit. Quare Imperatores repudiato oppugnandi viri conſilio, cuius vbique virtus eminebat, reditum ei confecerunt. Ille adeptus redeundi poteſtatem, & vniuerſæ ſubſtantiæ loco ſolum ſe habens, virtutisque opes oſtentans, vxorem duxit diuitijs, & genere claram, quaternoſque ex eâ habuit liberos, qui ſuperſunt, & vt incolumes maneant, Deos rogo, quin & ipſe, quo tempore iſta ſcribo, inter homines, vtque ſit, eoſdem obſecro. Recuperauit quoque ex ærario priſtinas opes, abolitâ, Imperatoribus indulgentibus, priore, qua ceciderat, ſententiâ. Atque iſta quidem ita ſe habent. Certè non cuiuſuis, ſed eximij Philoſophi eſt, cum Oribaſio agere, & colloqui, vt ſciat

quid

quid præ alijs admirari debeat, tanta eſt harmonia, & gratia in omnibus diffuſa, & coniuncta ipſius congreſſibus, & colloquijs. Hactenus Eunapius, vir vt impiæ ſuperſtitionis affectator, ita & eorum, qui eiuſdem criminis affines ſunt, laudator immodicus. Sed iam quoque Suidam audiamus. Ὀρειβάσιος, Σαρδιανὸς, Γνώριμος Ἰουλιανοῦ τοῦ παραβάτου, καὶ Κοιαίστωρ ὑπ᾽ αὐτοῦ καταστα θεὶς Κωνσταντίνου πόλεως. ἔγραψε πρὸς τοὺς ἀποροῦντας τῶν ἰατρῶν βιβλία δ΄. πρὸς Ἰουλιανὸν τὸν βασιλέα βιβλία οβ΄. ἐπιτομὴν αὐτῶν ἐν βιβλίοις θ. πρὸς Εὐστάθιον τὸν υἱὸν, καὶ περὶ βασιλείας, καὶ περὶ παθῶν. *Oribaſius Sardianus familiaris Iuliano Apoſtatæ, & Quæſtor ab eo Conſtantinopoli conſtitutus, ſcripſit ad illos quibus non eſt copia Medicorum libros* IV. *ad Iulianum Imperatorem libros* LXXII. *Epitomen eorundem libris* IX. *ad Euſtathium filium. Scripſit etiam de regno, & affectionibus.* Libro I. Anthologiæ iſto elogio celebrantur eius libri;

Δίου Ὀρειβασίου. τὸν ἀθανάτην διὰ τέχνην
Πολλάκι δειμαίνουσα μίτους ἀνεβάλλετο μοίρη.
Diui Oribaſij: quem immortalem propter artem
Sæpius reuerita, vitas hominum remittebat Parca.

MAGNVS.

MAGNVS.

DE MAGNO in hunc modum Eunapius: *Magnus oriundus fuit Antiochiâ, quæ trans Euphratem ſita, Niſibis nunc appellatur, Zenonis auditor, qui natiuâ mole Ariſtotelem prouocare potuit ad diſſerendum de corporibus electiuis, & quibus ad arbitrium vires ſuppetunt. In dicendo cogebat Medicos tenere ſilentium, ſed non perinde medendi arte pollebat. Quemadmodum autem memorant veteres Archidamum interrogatum, numquid Periclem viribus ſuperaret, reſpondiſſe, quin vbi Periclem proſtrauero, mox vicit, humi ſe deiectum fuiſſe negans: Eodem modo curatos ab alijs Magnus demonſtrabat adhuc morbo teneri: cumque priſtinæ valetudini redditi, etiam ſoſpites Medicis ſuis gratiam habere ſe teſtarentur, ille verbis, & quæſtiunculis obiectis os Medicis obſtruebat. Delecta fuit, & inſtituta Alexandriæ ſchola publica vbi doceret, ad quem peregrè, & nauigio, & terreſtri itinere confluebant omnes, vel contemplandi ſolùm hominis causâ, vel vt ex abundanti eius fructum aliquem decerperent; quod ipſum nunquam fefellit illos, aut enim in lucro ponebant loquen-*

loquentem, aut inſuper opponebant poſſe aliquid induſtriâ ſuâ præſtare, & facere. In Anthologia hoc de eo carmen habetur:

Μάγνον, ὅτ' εἰς ἀΐδην κατέβη, τρομέων Ἀϊδωνεὺς
Εἶπεν ἀναστήσων ἤλυθε καὶ νέκυας.

Prætrepidus Pluto, Magno veniente ſub Orcum,
Defunctos, inquit, qui reuocabit, adeſt.

PAVLVS.

PAVLVS à Patriâ Aeginâ, Aegineta nuncupatus, indefeſſo cognoſcendæ artis ſtudio, præter Græciam omnium artium parentem, remotiſſimas orbis regiones peragrauit; quod ipſius de ſe breuiter ſenarijs operi ſuo præfixis teſtari voluit:

Παύλου πόνον με γνῶθι τῆς γῆς τὸ πλέον
Διαδραμόντος, φύντος ἐκ γῆς Αἰγίνης.
Pauli laborem noſce qui plurimas
Terras obiui Æginâ natus patriâ.

Longâ iam rerum obſeruatione inſtructus, Hippocratis, Galeni, & Oribaſij monumenta latiſſimè diffuſa, ſummo breuitatis artificio, in ſeptem librorum compendium aptauit; opus ſanè præclarum, quod omnes

ſincerioris Medicinæ ſectatores meritò amplectantur.

AETIVS.

NON ſatis liquet, quis fuerit Aetius ille qui inter Principes authores Medicinæ recenſetur. Alij enim Antiochenum fuiſſe autumant, & eundem cum Hæreſiarchâ, Eunomij magiſtro: quem Conſtantius in exilium miſit, Iulianus autem reuocauit; in quam rem extat eius inter epiſtolas reſcriptum; & teſtatur Sozomenus libro v. capite v. Sed Iulianus Epiſcopum inſcribit: quod ſi ita eſſet, Suidas nō omiſiſſet, qui Diaconum à Leontio Antiochiæ Epiſcopo creatum affirmat. Et quidem Hæreſiarcham licet ex artificis humili officinâ prodeuntem; varijs tamen artibus inſtructum fuiſſe, & Peripateticis ratiocinationibus ingenium exercitatum habuiſſe, D. Epiphanius, & Suidas abundè declarant. Sed nemo vnquam Medicum fuiſſe, aut de Medicinâ libros conſcripſiſſe tradidit. Alij etiam Comitem opificij faciunt. Sed cùm plures fuerint Aetij, nominis ſimilitudo parum curioſis impoſuit. Quare ſimilior

vero

vero mihi ſententia videtur eorum; qui ex optimorum Codicum fide Aetium hunc Amidenum eſſe prodiderunt. Eſt autem Amida Meſopotamiæ oppidum, quod Iuſtiniani æuo à Perſis direptum Procopius refert. Nam cum alter ille Conſtantini principatu floruerit, & Iuliani quoque tempora attigerit, atque adeo Oribaſio æqualis eſſe debuerit; hunc ab illo diuerſum eſſe oportet, cum ſe non vno loco ſermonum ſuorum longè poſteriorem Oribaſio fuiſſe manifeſtè oſtendat. Sed quiſquis tandem ſit author, habemus in eo Galenum contractum, Oribaſium explicatum, Paulum ampliatum. nam in ſermonum libris XVII. cuncta quæ ad curandi artem pertinent, congeſta ſunt, ex omnibus qui vſque ad eius tempora ſcripſerant, diligentiſſimè excerpta. Præterea libri de oculorum affectibus, de intemperie, & infirmitate Hepatis, & de his qui ſanguinem ex ventre reuomunt, in Bibliothecâ Regis Galliæ, Græcè extare memorantur.

MARCELLVS.

MARCELLVS ætate Gratiani, & Theodoſij Magni floruit, Auſonio Medi-

co, Auſonij Poëtæ Patri, æqualis. non autem in infimo dignitatis gradu conſtitutum operis titulus oſtendit; nam cum earum ordines tres Imperatorum æuo fuerint, ipſe in ſupremo illuſtrium cenſetur. *Marcellus vir inluſter ex magno officio Theodoſij Sen. filijs ſuis ſalutem.* Scribonij Largi ſcripta in ſuum librum vniuerſa tranſtulit. Cætera prorſus Empiricus, vt ipſe etiam præfatur. *Nec ſolum,* inquit, *veteres Medicinæ artis authores latino dumtaxat ſermone perſcriptos, cui rei operam vterque Plinius, etiam proximo tempore inluſtres honoribus viri, Ciues ac maiores noſtri Silurius, Eutropius, atque Auſonius commodarunt, lectione ſcrutatus ſum; ſed etiam ab Agreſtibus, & Plebeis remedia fortuita, & ſimplicia, quæ experimentis probauerant, didici.*

ALEXANDER TRALLIANVS.

INTER antiquos authores ALEXANDRO TRALLIANO meliori ordine nemo Therapeutica conſcripſit. nam ſummum in docendo iudicium, fidem, diligentiam, artificium adhibuit. Oribaſio & Aetio poſterior fuit: nam eorum mentionem facit: ſed Paulo

Paulo Aegineta prior. nam Paulus tam libenter, atque ambitioſè non pauca ex hoc authore in ſua ſcripta tranſtulit, vt non modo ſenſus, ſed verba ipſa in Codice eius fideliſſimè conſeruata inueniantur. Atque ita Alexander veluti medius inter illos, nempe non multò poſt Iuliani tempora vixiſſe rectè dicetur. Ad diſcendum varias orbis partes peragrauit inſtar Hippocratis, Italiam, Galliam, Hiſpaniam. vnde etiam diuerſarum gentium vocibus nonnunquam vtitur, quod inſignem eius diligentiam arguit. Eius opera primùm habuimus ſtudio, atque induſtriâ Petri Caſtellani Antiſtitis Matiſconenſis, qui ea ex Regiâ bibliothecâ deprompſit. Mercurialis libro I. variarum capite XI. problemata illa, quæ Alexandri Aphrodiſæi nomine circumferunt, Tralliano adſignat.

ACTVARIVS.

QVI vir fuerit ACTVARIVS à nemine proditum ſcio. Sed ex ijs, quæ ipſe diſputauit, videre eſt nequaquam plebeio ingenio fuiſſe præditum. Magnum compoſuit opus, in quo omnes Medicæ facultatis

formæ ſummâ cum diligentiâ, & arte pertractatæ continentur. Item libros VII. de vrinis. De medicamentorum compoſitione librum quem Ruellius latinitate donauit.

NICOLAVS MYREPSVS.

NICOLAVS MYREPSVS, Alexãdrinus, vulgò Præpoſitus nominatur. Recentiſſimis Græcis adnumerandus: nam citat Actuariũ & Meſuẽ, qui floruit à nato Chriſto ann. 1155. ſub Federico Sueuo, cui Cognomentum Barbaroſſa. Floruit ſæculo, quo cum ſummâ barbarie ſuperſtitio regnabat. vnde & Barbaras voces, multaque ſuperſtitioſa ſcriptis ſuis admiſcuit. Extat eius liber de compoſitione medicamentorum particularium ſecundum genera ordine literarum.

ARABES.

PATRVM noſtrorum memoriâ regnum in ſcholis Arabes obtinebant. Solos Auicennas Auenzoares, Rhaſes, Auerrhoes, Iſaacos, alioſque id genus ſcriptores pulpita,

pita, cathedræque perſonabant. Hippocrates autem, Galenus, Oribaſius, Aetius, Alexander, Paulus, & cæteri doctrinæ purioris authores, inſtar Megarenſium, ὔτ' ἐν λόγῳ, ὔτ' ἐν ἀριθμῷ. Sed rurſus effloreſcente literarum ſtudio, pulſis Barbaris, Græci priſtinum ſtatum, dignitatemque recuperarunt. Atque adeo iam pleroſque videas Arabum etiam præclara reperta faſtidire, quod papauere, ſeſamoque conſperſa non ſint; Quodque alio dicente reciperent, quia ab his profectum cum nauſeâ rejicere, planè ritu Laconum, qui ſententiam ab improbo dictam, ſiquidem Reipub. vtilis eſſet, à viro bono repeti iubebant, ne mali cuiuſquam vſi conſilio viderentur. Ego ſanè repertis frugibus velle βαλανοφαγεῖν ὑώδεις puto: ſed tamen omnem Arabum cohortem non proſcripſerim. Neque enim ingenium requiras in ijs aut diligentiam. Quin imo non paucos videre eſt, qui quod de Ennio Virgilius vſurpabat, ex eorum ſtercoribus gemmas collegerunt. Et barbaries imputanda ſeculo, quod interpretes omnis literaturæ expertes illis dedit. Nam patrio ſermone non incultos eſſe crediderim; & pe-

riti quoque affirmant. Cæterùm ab huius familiæ principe Auicenna ordiamur.

AVICENNA.

NOMEN authoris huius ita concipiendum eſſe docet, Andreas Alpagus. *Abuali, Alhaſen, Ebenhali, Ebenſina.* Appellantur *Abuhali*, ex Arabum ritu. nam vt apud Græcos olim, & hodie in quibuſdam Belgicæ regionibus moris eſt, vt filio patris nomen apponatur; Ita Arabes addito filij primogeniti nomine Patrem deſignare ſolent. *Alhaſen* nomen authoris proprium cum articulo *Al Ebenhali*; hoc eſt, qui *Haſen* fuit filius *Hali*: ſiquidem *Eben* filium ſignificat. *Ebenſina*, id eſt, qui *Hali* pater *Haſen* filius extitit *Sina*. Ex quo licet colligere authorem hunc nomine *Haſen*, habuiſſe filium *Hali*, Patrem quoque *Hali*. Auum verò *Sina*; à quo, corruptâ voce *Ebenſina* vulgò Auicenna nuncupatur. Falluntur etiam, qui Hiſpanum eſſe prodiderunt: nam Perſam fuiſſe conſtat ex capite III. Doctrinæ II. fen. II. primi Canonis, & capite I. libri ſexti de animalibus. nec minus errant, qui regiâ ſtirpe Principum

Cordu-

Cordubenſium ortum ſcripſerunt; ex quo paſſim Princeps appellatur; quod Gentilis non omiſit, vbi in laudes eius ampullari nititur: *Auicenna vir grandis ingenij, omnium mundanarum ſcientiarum habitu luminoſus, ex regiâ ſtirpe, nobilitatis origine generoſus, virtutum moralium omnibus operationibus gratioſus, ac ſuorum claritate ſpirituum gaudioſus.* Errori cauſam dedit, quod fuerit *Vzir*, id eſt, primus Regi Perſarum à ſecretis, & qui dignitatis alicuius primum ordinem occupat, Arabibus, Abraijs, id eſt, *Princeps* appellatur.

Igitur *Haſen* patre *Hali*, matre Citarâ natus eſt in villâ Auffene, ad Bucharam, vt traditum eſt à Sorſane eius diſcipulo; cuius de vitâ illius hiſtoriam Marcus Fidella Damaſcenus, Venetorum mercatorum Damaſci interpres in Italicam linguam tranſtulit, & Nicolaus Maſſa latinè vertit. Puer admodum, anno ætatis decimo tam luculentum ingenij ſpecimen Præceptoribus dedit, vt miraculo eſſet; quippe Alchoranum, qui liber Mahomethi leges continet, memoriâ tenebat. Poſteà Pater Hali natalinum Philoſophum filij ſtudijs addidit. Sed ingenij acrimoniâ ſpem Præceptoris ante-

 ceſſit;

ceſſit; & Dialecticam ab illo non intellectam per ſe didicit. In Mathematicis diſciplinis, nullo etiam magiſtro vſus. Hinc ad naturalis Philoſophiæ penetralia ingreſſus, Medicinam tantâ induſtriâ tractauit, vt iuniorem ſenes admirarentur. Ab his item, ad Dialecticam redijt, quam ea animi contentione voluit, vt ſeſqui-anni ſpacio totam noctem vix dormiuerit: nihil legere ſolitus, quod non excerperet. In Metaphyſicis ſummas difficultates offendit: quas cum ſuperare vellet, libros Ariſtotelis quadragies perlegit: Cumque ne ſic quidem intelligeret, integros memoriæ mandauit: nec tamen adyta illius ſcientiæ penetrauit. Quare cum eam ſe aſſequi poſſe deſperaret, omiſit. Sed fortè librum Albumazaris Alpharabij nactus, ex ijs, quæ iam ante didicerat, & memoriæ mandarat, in cognitionem aliorum peruenit. In hac diſciplinâ diutiùs ſe exercuit: nam reliquas anno ætatis octauo, & decimo hauſerat. Per hæc ſumma famæ crebritas. Itaque Nuch Regis filius, in ægritudine fruſtra ſuorum Medicorum operam expertus, Haſen ad ſe vocari iuſſit, & & ab eo curatus eſt. Hinc ad Regiam Bibliothecam admiſſus, in qua nobiliſſimorum

rum Medicorum libri ſeruabantur, quorum antea ne quidem nomen audiuerat, maiore contentione operam ijs dare cœpit. His doctrinæ præſidijs inſtructus, cum reliquum tempus in diſcendo abſumpſiſſet, anno ætatis xxi. ad ſcribendum ſe appulit, & inſtinctu Abrelchezin Ellarudi libros Eucyclopædiæ edidit. Deinde libros xx. de demonſtratione, item librum de gratiâ, & ſatisfactione rogatu Abubach Elbarchæ; quo tempore Patrem amiſit. Mortuo autem Patre ad rempub. acceſſit, & negocia Regis adminiſtrauit. Interim librum occultæ Philoſophiæ conſcripſit, qui vniuerſæ Magiæ rationem continet. Poſt hæc Eleram vocatus, ad Principem melancholiâ laborantem, quem ſanauit. Per id temporis Almahad, id eſt, librum de loco animarum, poſt ſeparationem à corpore, compoſuit. Deinde Abdam profectus, eius loci Principem inuenit Colicis doloribus miſerè vexatum, & ſanauit. Quod ob meritum Princeps ampliſſima illi munera contulit, & Senatus ſui principem conſtituit. Hinc Aſphecam ſe contulit, ad Regem Iſphecam, qui eum magnis conditionibus apud ſe detinuit. Sed Regis caſtra ſecutus in Colicum dolo-

dolorem incidit; à quo multo clyſterum vſu ſemet ipſe liberauit. Aliàs corpore robuſto, & valetudine proſperrimâ vti potuiſſet, niſi effreni Veneris intemperantiâ, in quam naturâ maximè pronus erat, ea labefactaſſet. Itaque aſſiduâ libidine exhauſtus, proſtratiſque facultatum viribus eidem noxæ iterum affligenti reſiſtere nequijt; ſed accedente morbo ſacro diem ſuum obijt, anno ætatis LVIII. fortunas, quas reliquit amplas, pauperibus diſtribui iuſſit. Sepultus eſt in Ciuitate Chamedan. Floruit circa annum recuperatæ ſalutis CIↃCXLIX.

AVERROES.

AVERROES in Arabum claſſe diſputator ſubtiliſſimus. Tamen admodum pauca de eo habemus. Floruiſſe tradunt anno partus Virginei M. C. L. Aegidius Romanus IX. quodlibet. ſcribit ſe vidiſſe duos filios Auerrois in aulâ Imperatoris Federici cognomento Barbaroſſæ. Scripſit in omnes libros Ariſtotelis, vnde Commentatoris nomen meruit. In Medicina compoſuit opus *Colligit* dictum, in quo ars vniuerſa breuiter explicatur. id ſe feciſſe refert impulſu

pulſu amicorum; & maximè iuſſu Regis Miramamolimi, cuius Medicus fuiſſe videtur.

AVENZOAR.

AVENZOAR annum ætatis X. agens ad Medicinæ ſtudia animum appulit; eaque pertinaci labore ad annum XL. tractauit. Tum demum omnia edoctus, artem exercere cœpit: vixitque annos centum, triginta quinque; Ideoque ob ſingularem doctrinam, & longiſſimam experientiam, Maiores illum peculiari cognomento *ſapientem & glorioſum* appellarunt. Certè Auerroes, aliàs ad calumniandum pronus, aliorumque inſectator, hunc vbique non ſine honoris præfatione nominat libro IV. Collig. cap. XL. vbi id, quod iam antea dictum eſt, memorauit, ait in hunc modum; *Cui Corona erit exhibenda; cum vidit, atque cognouit, quantum humanitas videri, cognoſci, & obſeruari licet.* V. Collig. cap. VII. contra authoritatem antiquorum nititur rationibus Avenzoaris. *Sed*, inquit, *nobiles viri filij Auenzoar teſtificati ſunt hoc, & illi ſunt quibus debet attribui ſcientia Medicinæ.* & iterùm

VII.

vii. Collig. capite xxxix: *Vnicuique volenti ad huiuſmodi præclaritatis ſcientiam pervenire, bonum eſt, bonum eſt vt libros Abhumeron Auenzoar ſtudioſè legat, nam illic Medicinæ Theſaurus patet manifeſtè.* Scripſit libros *Theiſir*, in quibus omnium propè ægritudinum curatio traditur.

RHASIS.

RHASIS vulgò advocatur Almanſoris nomine. quod liber eius iuſſu Regis Manſoris editus ſit. Hic enim Rex inter Arabes primus Gymnaſia & Bibliothecas aperuiſſe memoratur; quod etiam cauſæ fuit, cur eius æuo tot illuſtrium ingeniorum monumenta in lucem prodierunt. Nomen autem huius authoris ita concipiendum aſſerit Montanus. *Abo Petri filij Raſi filij Zachariæ: vt nihil aliud,* inquit, *ſibi velit, id quod diximus (Abo Petri) quam Domini Petri filij Raſi, qui fuit filius Zachariæ, & hoc factum eſt, quoniam conſuetudo apud ipſos erat, vt nomen Patris & Aui poneretur.* Sed ex ijs, quæ ſuprà de *Abu Hali* diximus, alia ratio nominis *Abu Petri* poſſit afferri. Cæterum Rhaſes præter libros ad Manſorem, cuncto-

cunctorum ante ſe ſcriptorum commentarios ingenti volumine coëgit, quòd à Medicis *Continens* appellatur; in quo verbum *Dixit*, toties repetitur, vt bono ſtomacho eum eſſe oporteat, qui cramben illam ſine nauſeâ concoquat.

ALBVCASSIS.

ALBVCASSIS ſingularem inter Arabes commendationem meretur, quod vnus ex eorum familiâ, rationes, & formas inſtrumentorum, quibus Chirurgia vtitur, omnium diligentiſſimè tradiderit; atque adeo vberrimam Græcorum ſcholam, ſed hac parte defectam, neceſſario additamento locupletarit.

MESVE.

IOANNES MESVE regiâ ſtirpe ortus patrem habuit Meſuen, Auum Hamech, Abauum Hely, atauum Abdelam Damaſci Regem, enituit anno CIↃ. C. LVIII. Pontificatu Adriani. Sunt etiam qui Græcè putent ſcripſiſſe, quo tempore Godefredus Lotharingorum Rex Syriam, & in ea Damaſcum,

maſcum, & Hierulalem expugnauit. Sed veroſimilior eſt ſententia eorum, qui Arabicè eum ſcripſiſſe cenſent; nam verſio antiqua, impolita quidem, ſed fidelis (vt aiunt) voces Arabicas non paucas ſeruauit. Legiſſe tamen non Arabes ſolos, ſed etiam Græcum neſcio quē in ſimplicibus ſæpe citatum, & Hippocratem, & Galenum, ipſius ſcripta Therapeutica planè conuincunt. Cæterùm in deſcribendis morborum remedijs tam eſt exactus, vt vulgò Euangeliſta Pharmacopæorum appellatur. extat opus *de rectificatione medicin. ſolut.* vel vt Syluius inſcribit, *Methodus medicamenta purgantia deligendi, & caſtigandi:* Item *liber* de antidotis. Scripſit præterea *Methodum medendi:* Sed morte præuentus non abſoluit. nam cum ad Cordis ægritudines opus deduxiſſet, ipſe interijt.

ISAAC.

DVO fuēre ISAAC; alter *Heben Amran*: alter Iſraëlita: Ille Philoſophus inſignis, & de definitionibus ſcripſit: Hic etiam Medicus; & ob raram artis præſtantiam à Salomone Rege Arabiæ adoptatus.

Reliqui

Reliqui etiam Arabes, Meſue, Serapion, Rhaſis hunc plurimi fecerunt, & ſua ſcripta teſtimonijs eius impleuerunt, vt meritò inter illos de principatu contendere poſſe videatur. Superſunt eius libri *de victus ratione*.

HALIABBAS.

HIC author operis ſui capite III. nomen ſuum proponit in hunc modum: *Hali, filius Abbas Magi, diſcipulus Abimeher, Moyſi, filij Serar.* Aliud, quod de eo proferam, non habeo. Conſtat fuiſſe virum doctum, multæque lectionis; neque enim Græcos ſolùm, ſed etiam Arabes omnes, qui ante eum ſcripſerunt, ſtudioſè luſtrauit, vt non malè iudicaſſe de omnibus videatur. Vniuerſam Medicinã eo ordine tractauit, vt ad perfectam artis cognitionem diſcipulis ſufficere vnum ſe glorietur. Titulum autem libro fecit: *Liber Regalis completus artis Medicinæ.* & rationem reddit, *quod nomen hoc vtilitati competat propoſitæ in eius diſpoſitione, cùm illum Regi ordinauerit excellenti principatus fortitudine.*

Sunt complures alij ex Arabum gente

celebres Medici; vt IOANNES DAMASCENVS Decapolitanus, cuius extat Methodus curandi quam ex Galeno, Aetio Paulo tranſcripſit. RABBI MOYSES, qui ad ſcribendum iuſſu Soldani Regis Babyloniæ ſe compulſum affirmat. Præter hos, quos iam commemoraui, *Alsharauius*, ſiue, *Alpharabius*, *Abinquefit*, *Albatarich*, *Aaron Algazel*, *Auempaces*, *Meſsias*, *Abenbicar*, alijque, effecêre, vt cum ingenijs Græcorum, ingenia Arabum contendere poſſimus.

PETRVS HISPANVS.

NEMO lineam aduerſum me poſcet, opinor, ſi nunc Arabum ſectatores producam, & in ſuum gregem referam, quos ratio ſcribendi, & ſimilitudo ſociare videtur. Et initium faciam ab eo, quem in ſummo dignitatis faſtigio conſtitutum, nec tantùm ſacris honorum inſignibus, verùm etiam clariſſimis doctrinæ monumentis eminentem orbis vniuerſus adorauit.

Petrus à natione Hiſpanus vulgò dictus, patriâ Vlyſſiponenſis, anno CIↃ CC LXXVI. vt ſupputat Martinus Polonus, ex Epiſcopo Tuſcu-

Tuſculano; Pontifex Maximus creatur, aſſumpto Ioannis nomine, quod ordine XXI. reperitur. Platina verò his verbis deſcribit: *Hic etſi doctiſſimus eſt habitus, tamen ignoratione rerum gerendarum, & morum inæqualitate plus detrimenti, quàm honoris, & emolumenti Pontificatui attulit. Multa enim ſtoliditatem præ ſe ferentia egit. In vno tantum commendatione dignus, quod Adoleſcentes literarum ſtudioſos, inopes maximè, beneficijs eccleſiaſticis, & pecuniâ iuuit. Vexabant tum Veneti Anconitanos, qui in Dalmatiâ mercaturam exercerent, nullo perſoluto Venetis portorio: neque eos (vt par erat) Vectigales Eccleſiæ Pontifex ipſe tuebatur, in verbis tantummodo promptus, in rebus agendis timidi, & infracti animi. Anconitani autem Pontificis auxilio deſtituto, ſeipſos colligentes, eruptione factâ, Venetos vrbem obſidentes magno illato incommodo propellunt. Vſus tamen Conſilio Ioannis Caietani, cuius nutu omnia tum gerebantur, quod ipſius auxilio & ſuffragijs Pontifex creatus fuerat; Legatos tum ad Paleologum, tum ad Reges occidentales miſit; qui eos ſuo nomine cohortarentur, vt pace inter ſe initâ, arma in Sarracenos, & hoſtes Chriſtiani nominis pararent. Pollicebatur homo ſtolidus ſibi*

longam vitam: & diu ſe victurum omnibus prædicabat. Quippe cuius vita, & mores omnibus patebant; adeo erat inverecundi, & ſecordis ingenij. Sed ecce dum hanc ſtultitiam omnibus prædicat, Camera quadam noua, quam in palatio Viterbienſi extruxerat, ſubitò corruit; atque inter ligna, & lapides iuuentus, ſeptimâ die poſt tantam ruinam, acceptis omnibus Eccleſiæ ſacramentis, Pontificatus ſui menſe octauo moritur, Viterbijque ſepelitur. Vir, vt dixi, admodum literatus; ſed parum prudens. Multa enim in vitâ ſuâ ſcripſit: Potiſſimùm verò Canones quoſdam ad Medicinam pertinentes. Nam medendi arte admodum peritus habebatur. Scripſit & librum, quem Theſauros pauperum vocat, edidit & Problemata quædam Ariſtotelem imitatus. Sed vt intelligamus quantum ingenio ſuo Platina indulſerit, operæpretium eſt verba referre Martini Poloni, ex cuius Chronico hiſtoriæ ſuæ fundamenta ille deſumpſit. *Hic Pontifex*, inquit, *Ioannes, Petrus antea dictus, in diuerſis ſcientijs famoſus, primò Tuſculanus Epiſcopus, tandem Romanus Pontifex efficitur: qui ſcientiarum florem, & Pontificatus dignitatem morum quadam ſtoliditate deformabat: adeo vt naturali induſtria carere videretur. In*

hoc

hoc quamplurimùm laudabilis fuit, quod ſe tam pauperibus, quàm diuitibus communem exhibens multis, egenos ſtudijs literarum amplectentes fouit; & beneficijs eccleſiaſticis promouit. Et quum ſibi vitæ ſpacium, & annos plurimos exiſtendi crederet, ſubitò cum camerâ nouâ, quam pro ſe circa palatium Viterbij ipſe conſtruxerat, ſolus corruit: & inter ligna, & lapides colliſus, ſextâ die poſt caſum, ſacramentis omnibus Eccleſiaſticis perceptis, exſpirauit; & ibidem in Eccleſiâ S. Laurentij ſepultus extitit.

TRVSIANVS.

A Quibuſdam Turiſanus, ab alijs Tauriſanus appellatur. Patriâ Florentinus; inclaruit Imperante Alberto, anno Chriſti CIↃ CCC. Scripſit Commentarios in artem Medicinalem Galeni tanto ſæculi illius applauſu, vt *pluſquam Commentator* ipſe, & eius liber, *pluſquam Commentum* vulgò diceretur, & nunc quoque dicatur. Sed cùm inſignem eruditionem in medendo ſucceſſus deſtitueret, veluti fortunæ digitũ oſtendens in Carthuſianorum ſolitudinem ſe abdidit. in quo vitæ genere multa pietatis monumenta edidiſſe perhibetur.

IACOBVS DE PARTIBVS.

IACOBVS DE PARTIBVS, medendi ſcientiâ longè celeberrimus, valetudinem Philippi, Ducis Burgundiæ, nec non Caroli. VII. Gallorum Regis valetudinem diu rexit. Poſtea Tornacenſis Eccleſiæ Canonicus, & ſacro ærario Præfectus, ibidem dotatâ leproſorum domo teſtatam apud poſteros pietatem reliquit. Commentarios ſcripſit in omnes Canones Auicennæ, opus ſine nitore quidem, vt ſæculi illius genius fuit; ſed latiſſimè diffuſum, quodque omnes Medicinæ partes ita pertractatas continet, vt exquiſitæ eruditionis, & ſingularis diligentiæ laudem mereatur. Memoratur etiam liber I. de Antidotis, Introductorium Medicinæ, de quibuſdam morbis peculiaribus liber. I.

GENTILIS FVLGINAS.

GENTILIS FVLGINAS, ſiue de Fulgineo, natione Peruſinus, magni nominis Medicus, & Auicennæ enarrator accuratiſſimus. Floruit anno CIↃ CCC X. Deceſſit

ceſſit fermè Octogenarius Bononiæ, ibidemque apud P.P. Dominicanos ſepultus ſcripſit Commentarios in Auicennæ Canones, de diuiſione librorum Galeni, Conſilia varia, Tractatum de proportionibus Medicinarum miſcendarum, & de ratione inueſtigandi temperamentum earum & doſim, de Peſte, tractatus duos de Balneis, de Febribus librum 1.

PETRVS APONENSIS.

PATAVIO, vetere & illuſtri Italiæ ciuitate Petrus Aponenſis prodijt, vir ſubtilis ingenij laude cumulatus, & Philoſophiæ atque Medicinæ famâ tam clarus, vt ob diſcrepantes in ijs diſciplinis ſententias in conſonam, aptamque vnius ſenſus concordiam reuocatas vulgò *Conciliator* appelletur. Docuit Bononiæ, non ſolùm eximiâ doctrinæ opinione, ſed tanto etiam artis vſu celebris, vt ex omnibus Italiæ locis ad ægros euocaretur; etſi non minoris, quam pactâ quinquaginta florenorum in ſingulos dies mercede, ſuam operâ locaret. Quin etiā ab Honorio, Pontifice Maximo, centum in dies ſtipulatus, ſanitate feliciter reſtitutâ,

 mille

mille accepit. Tandem circa annum ætatis LXXX. magiæ ſuſpectus à Quæſitoribus ſacrarum cognitionum in ius vocatur. Sed pendente lite mortuus, anno CIↃ CCC V. vt author eſt Bernardus Scardeon *libro* II. *claſſe* IX. *hiſtoriæ Patauinæ*, nec ſic tamen è manibus iudicum elapſus, in effigie ſupplicium tulit; quæ Patauij in foro, lectâ condemnationis ſententiâ, Flammis tradita, ſeueræ animaduerſionis exemplum præbuit. Scripſit in problemata Ariſtotelis. Item libros differentiarum, de venenis. Librum Meſuæ in affectibus cordis deſinentem ad calcem vſque perduxit. Item librum de omnimoda Medicina ad Ioannem Pontificem eius nominis XXII.

ARNALDVS VILLANOVANVS.

QVEMADMODVM de Homero multæ ciuitates pugnarunt inter ſe, & contenderunt, earum alijs atque alijs ſuum ciuem eſſe confirmantibus: Ita Arnaldum Villanouanum, Galli, & Hiſpani, vt ſuum ſibi vindicant; & vtriſque argumento eſt natalis ſoli nomen, quod in Narbonenſi prouinciâ, ſimiliter & in eâ Hiſpaniæ parte,

quæ

quæ Cathalonia dicitur, oppidum ſit, quod *Villa noua* appellatur. At ſecundum plures natus eſt Arnoldus in oppido illo Galliæ Narbonenſis anno ſalutis CIↃ CCC. eo fermè tempore, quo Petrus Aponenſis, & Raymundus Lullius enituerunt. Iuuenis annorum xx. ad Academiam Pariſienſem ſe contulit: Inde montem Peſſulanum medicinæ ſtudio tum celeberrimum adiuit. Hic iactis ſcientiæ fundamentis, vt penitioris Philoſophiæ robur adiungeret, in Italiam ad audiendos Pythagoræos, & mox in Hiſpaniam profectus eſt; vt Arabes audiret. Itaque quod eo ſeculo mirum, ad profundam rerum naturæ, & Medicinæ ſcientiam, linguarum quoque Hebraicæ, Græcæ & Arabicæ cognitionem adiecit. Poſt bene longas peregrinationes in Galliam reuerſus Pariſijs docuit non ſine gloriâ, quam tamen prædictionibus Aſtrologicis, & diuinandi vanitate decoxit. Quippe magnâ contentione aſſeuerabat appetere aduentum Antichriſti, imminere Eccleſiæ vexationes, idque Danielis Prophetæ, & Sibyllæ Erythreæ vaticinationibus confirmabat. Per hæc minuente famâ; rurſus in Italiam conceſſit. Sed cum intelligeret Pe-

trum Aponenſem ab Inquiſitoribus in ius vocatum, ſibi tempeſtiuè conſulendum ratus, dum proximus ardet Vcalegon, in Siciliam ad Regem Federicum ſe contulit, apud quem non modo tutum perfugium, ſed etiam honores inuenit. Deinde Romam miſſus à Rege ad ſanandum Pontificem, in itinere obijt, & Genuæ ſepultus eſt. Scripſit:

Speculum Medicinæ,

De diuerſis intentionibus Medicorum lib.

De humido radicali,

Commentaria & quæſtiones in librum Galeni de mala temperie,

De regimine ſanitatis,

De iuuentute conſeruanda, & retardanda ſenectute,

Tractatum de conſiderationibus operis Medicinæ,

Aphoriſmorum libros cum commentis,

Tabulam Medicum informantem, quando ægritudinem ignorat,

Canones ægritudinum omnium corporis humani,

Partem operatiuam,

De regimine Caſtra ſequentium,

Commentaria in Scholam Salernitanam,

Breuiarium Practicæ in lib. iiij. diuiſum,

Practi-

Practicam ſummariam ad Clementem Pontif.
De ratione victus in morbis acutis,
Regimen quartanæ febris,
Conſilium ſiue Curam febris hecticæ,
Conſilium contra Podagram,
De ſterilitate, tam ex parte viri, quàm mulieris.
De ſignis lepræ,
Ee bonintate memoriæ,
De Melancholia ex amore,
De Cautelis Medicorum,
De Venenis, & arte ea cognoſcendi,
De Theriacalibus doſibus,
De graduationibus Medicinarum,
De ſimplicibus,
Antidotarium,
De vinis,
De aquis Medicinalibus,
De ornatu mulierum,
De decoratione,
Parabolas Medicum erudientes,
De Coitu,
De Medicinarum, & ciborum natura,
Commentum in primum Hippocratis aphoriſmum, cum Tabulâ eiuſdem,
Commentum in aphoriſmum xxxiiij. particulæ ij.

Item

Item regulas generales de febribus,
De ſomnijs,
De Aſtrologiâ,
De verâ naturalis Philoſophiæ compoſitione, quem librum appellant Roſarium Philoſophorum,
De curatione Calculi,
De curatione Catharri,
De Tremore Cordis,
De Epilepſiâ,
De eſu carnium pro ſuſtentatione Ordinis Carthuſ.

HVGO SENENSIS.

HVGO SENENSIS capaci ingenio, rerum diuinarum, & medendi ſcientiam complexus in vtraque ſic excelluit, vt in alterâ pauci. Floruit Eugenio IV. Pontificatũ gerente, Ferrarienſi Concilio interfuit vir prõptiſſimæ doctrinæ, vt ad quas cauſæ quæſtiones, ſiue ex Platonis, ſiue ex Ariſtotelis decretis peterentur, ex tempore ſe reſponſurum in nobili conuiuio, gloriari non ſit veritus, erectâ Parmæ à Nicolao Heſtenſi Marchione primùm Academiâ, ad docendum fuit euocatus, vt teſtatur ipſe in procemio

œmio Comment. in artem Galeni. Obijt Romæ anno CIↃ CCCC XXXVIII. Scripſit in primum Canonem Auicennæ, In Aphoriſmos Hippocratis, In artem Galeni, volumen Conſiliorum, de febribus librum I.

MATTHAEVS DE GRADI.

IOANNES MATTHAEVS DE GRADI Patria Mediolanenſis, Philoſophus, & Medicus ſuo æuo celeberrimus Ticinenſem Academiam famâ doctrinæ plurimùm illuſtrauit. Scripſit in nonum Rhaſis ad Almanzorē Commentarios abſolutiſſimos, quibus vniuerſam curandi rationē facillimo ordine tradidit: præterea conſiliorum opus eruditiſſimū: Itē in XXII. Fen. Can. III. Auicennæ.

IACOBVS FORLIVIENSIS.

IACOBVS FORLIVIENSIS, nimiæ ſubtilitatis Medicus, artē Sophiſticis tricis impleuit. Floruit an. Chriſti CIↃ CCCC XXX. Alij tamen extinctum referunt Patauij an. CIↃ CCCC XXIV. Scripſit de extenſione graduum lib. I. In primum Canonem Auicennæ, cum quæſtionibus. In Aphoriſmos Hippo-

Hippocratis, In artem Galeni cum quæſtionibus. Expoſitionem in caput Auicennæ de generatione Embrij etiam cum quæſtionib.

MATTHAEVS SILVATICVS.

MATTHAEVS SILVATICVS patriâ Mantuanus, genere nobiliſſimus. Floruit anno CIϽ CCCXIX. Scripſit de ſimplicium effectibus ad Robertum Siciliæ Regem. Liber eius Pandectarum nomine fertur.

THADAEVS.

THADAEVS gentis nomine Florentinus vulgò dictus; Bononiæ Medicinam docuit ampliſſimo honorario, tantaque omnium opinione, vt ſecundus Galenus illo tempore prædicaretur. Obijt anno Chriſti CIϽ CC LXX. & Bononiæ in Cænobio Dominicanorum ſepultus. Scripſit in Aphoriſmos Hippocratis, In prognoſticâ eiuſdem, In artem Galeni, De tuendâ ſanitate lib. I. Conſilia contra varias ægritudines, In librum Hippocratis de ratione victus in acutis.

ALEXAN-

ALEXANDER BENEDICTVS.

ALEXANDER BENEDICTVS Medicorum Italiæ ſuâ tempeſtate decus eximium, indefeſſo artis cognoſcendæ, Medicæque materiæ ſtudio remotiſſimas gentes luſtrauit. Docuit deinde Patauij maximâ frequentiâ auditorum. Medicinam operatricem Venetijs quoque diu profeſſus eſt. Scripſit de morbis medendis à vertice ad calcem, libros xxx. Aphoriſmorum librum I. De peſte, eius cauſis, & materiâ auxiliorum librum I. Anatomes, libros v. Floruit Imperante Maximiliano, qui vxorem duxit Mariam, hæredem domus Burgundicæ.

DINVS DE GARBO.

DINVS DE GARBO Florentinus, Patrem habuit Brunonem, Medicinæ, quæ manu medetur, peritiſſimum. Thadæum Florentinum audiuit; à quo eruditus, iuuenis admodum in III. & IV. Fen. Auicennæ de Chirurgiâ ſcripſit. Docuit Bononiæ extra ordinem; Deinde propter belli tumultus Senas ſe recepit. Compoſito tandem

tandem bello redijt Bononiam. Floruit circa annum CIↃ CCC. Scripſit in librum Galeni de malitiâ complexionis variæ. In librum Hippocratis de natura fœtus, Diuerſarum quæſtionum librum I. De ponderibus, & menſuris librum I. De Cœna, & prandio epiſtolam.

THOMAS DE GARBO.

THOMAS Dini filius, velut paterni ingenij hæres in eiuſdem quoque profeſſionis decus venit. Scripſit ſummam Medicinæ, reductione medicamentorum ad actum lib. I. claruit CIↃ CCC XLVI.

NICOLVS.

NICOLVS patriâ Florentinus, Medicus ſui temporis excellentiſſimus, & Philoſophus doctiſſimus complura edidit; inter quæ celebratur opus quoddam practicen Theoricenque complectens. Obijt Florentiæ anno Chriſti CIↃ.CCCXII. Pontificatu Ioannis XXIII.

MARSILIVS.

MARSILIVS de ſancta Sophiâ, Patauinus Medicus, vir multarum rerum cognitione inſignitus, cùm quædam in Hippocratis libros edidiſſet, multos Scriptores ingenij acumine obſcurauit. Scripſit de medicamentorum particularium compoſitione, In I. Fen. IV. Auicennæ, Conſilia medica, maximè de auditu, tinnitu aurium. Vixit anno CIↃ CCCC VIII. Sepultus Bononiæ.

ANTONIVS CERMISONVS.

ANTONIVS CERMISONVS Patauij lectionem ordinariam diu ſuſtinuit. Scripſit Commentarios aliquot in Auicennæ Canones, Conſiliorum libr. I. De vrinis librum I. Moritur Patauij admodum ſenex anno Salutis partæ CIↃ CCCC LXVII. Sepultus in D. Antonij.

CONSTANTINVS.

CONSTANTINVS AFRICANVS, Monachus ordinis D. Benedicti, in monte

Caſſinenſi, Medicinæ & Philoſophiæ peritiſſimus, Græco, Latino, & Arabico ſermone inſtructus, omni denique laudum genere efferendus, niſi eas ambitioſiùs affectaſſet. nam dum multitudine Scriptorum, nominis celebritatem quærit, etiam aliena inuolauit; & quam labore ſuo gloriam meruerat, plagij ignominiâ fædauit: quippe Iſacij opera diu pro ſuis vſurpavit; donec inſecuta ætas, quam fucus non ſemper fallit, iuſtis vindicijs ea ſuo authori reſtituit. Præter multa; quæ ex Arabica tranſtulit, *Scripſit de ponderibus medicinal. lib. I. De vrinis I. De morborum cognitione, & curatione à capite ad pedes vſque libros VII. De ſtomachi affectionibus naturalibus, & præter naturam I. De victus ratione variorum morborum. De Melancholia libros II. De Coitu lib. I. quibus proſit aut obſit, quibus medicaminibus aut alimentis augeatur aut impediatur. De anima, & ſpiritus diſcrimine. De paſſionibus mulierum, & matricis. De Chirurgiâ. De gradibus ſimplicium medicamentorum. De humana natura. De Elephantiaſi. De remedijs & animalibus Viaticum Medicinæ. De communibus medico cognitu neceſſarijs lib. x.*

IOAN-

IOANNES ARCVLANVS.

IOANNES ARCVLANVS natione Romanus; vel, vt alij prodiderunt, Veronenſis, Medicus ſuâ tempeſtate celeberrimus, æqualis fuit Hugonis Senenſis. Bononiæ, & Patauij longo tempore docuit. *Scripſit in nonum Almanzoris, opus eruditum. Item de febribus lib. I. Commentarium in IV. Fen. Auicennæ.* Ferrariæ etiam docuit, ibidemque in medio curſu ſtudiorum, acerba morte ſublatus. Sepulchro hæc addita inſcriptio:

Qui iuſtæ vitæ meritus, & Philoſophiæ
Summa arte, ac ſtudio gloria ſumma fuit:
Ipſam qui verè Medicinam nouit, & ægris,
Si qua fuit, ſolus ſpeſque, ſaluſque fuit.
Reges & populos, deflendâ morte Ioannes:
Orbatos linquens, conditur hoc tumulo.

BERTRVCIVS.

BERTRVCIVS Medicus Bononienſis inter compendiorum concinnatores optime operam collocaſſe fertur, eoque ſibi ſummam exiſtimationem peperit. Barbarus

tamen ſtilo, & à nitore ſermonis Romani prorſus alienus. Ipſe de ſe ita loquitur: *Ego Bertrucius genere Lombardus, in ſcientiâ Medicinæ, Bononiæ conuerſatus.* & infra ait ſe Hippocratis, Galeni, Rhaſis, Auicennæ, & Ioannis Hebe, Meſue veſtigia ſectari. Obijt Bononiæ; Sepultus in æde ſacrâ D. Petronij. Scripſit *Methodum cognoſcendorum morborum, tam particularium, quàm vniuerſalium.*

SAVANOROLA.

IOANNES MICHAEL SAVANOROLA Patauinus Iacobi Forliuienſis Medici filius, & ipſe artis paternæ ſectatòr, non minorem in eâ ſibi laudem comparauit. Diſcipulus fuit Antonij Cerniſonij. Scrîpſit

De morbis particularibus,
De febribus,
De Balneis,
De Pulſibus, vrinis, & egeſtionibus,
De aqua vitæ,
De compoſitione medicamentorum.

IOAN-

IOANNES SERMONETA.

IOANNES SERMONETA, Medicus & Philoſophus inſignis. Floruit Bononiæ anno Domini CIↃ CCCC XXX. Scripſit *Quæſtiones in Aphoriſmos Hippocratis. In artem paruam Galeni.*

IOANNES DE TORNAMIRA.

IOANNES DE TORNAMIRA natione Gallus, & Montiſpeſſulanæ Academiæ Decanus, in medendo felix, & in ſcribendo eruditus. Scripſit

In nonum Rhaſis ad Almanſorem

De febribus lib. I.

Commentarium in Gal. de interiorib. lib. I.

Practicam.

BERNARDVS GORDONIVS.

BERNARDVS GORDONIVS Montiſpeſſulanæ itidem Medicus, ſuo tempore celeberrimus, Qui poſtquam docuiſſet annos xx. ſcribere eſt aggreſſus inſigne volumen, cui titulum fecit, *Lilium Medicinæ*, in

quo vniuerſa medendi ratio explicatur. Edidit præterea

Tractatum de X. ingenijs curandorum morborum,

De regimine acutarum ægritudinum,

De Prognoſticis,

De vrinis, & de pulſibus,

De Conſeruatione vitæ humanæ, à die natiuitatis vſq; ad vltimam horam mortis.

Floruit circa annum redemptionis CIↃ CCC V.

VALESCVS DE TARANTA.

VALESCVS DE TARANTA Monſpelij, circa ann. Domini CIↃ CCC LXXXII. Medicinam laude magnâ, & multorum fructu inſigni facere cœpit. In quo genere ſtudij cùm triginta ſex annos continuaſſet, quæcunque & lectione, & quotidianis experimentis didicerat, in vnum volumen congeſſit, quod *Philonij* nomine circumfertur. Tradunt etiam Archiatrum fuiſſe Regis Gallorum.

IOAN-

IOANNES DE S. AMANDO.

IOANNES DE SANCTÒ AMANDO, Tornacenſis Eccleſiæ Canonicus, Scripſit
In Antidotarium Nicolai,
De ſimplicibus librum I.
De Balneis.

SYMPHORIANVS CAMPEGIVS.

SYMPHORIANVS CAMPEGIVS, Lugdunenſis natione equeſtris ordinis, & Fauergiæ dominus, Ducis Lotharingiæ valetudinem rexit. Hic bonarum artium adminiculo vſus artem è tenebris reuocare conatus eſt. Scripſit
Caſtigationes Pharmacopolarum,
De Claris Scriptoribus Medicinæ.
De corporum animorumque morbis.
Aphoriſmos ſiue Collectiones Medicinales.
Hortum Gallicum.
De ſanguinis miſsione in pleuritide.
Practicam medicinalem
Crebrationem medicamentorum.
Quæſtionem de exhibitione Medicinarum Venenatarum.
Symphoniam Galeni ad Hippocratem.

IACOBVS CARPENSIS.

IACOBVS CARPENSIS Chirurgiam Boloniæ ſummâ cum laude profeſſus: & Fallopius eius artis peritiſſimus, primum Anatomes reſtauratorem appellare non dubitauit. Idem primus in morbo Gallico iniunctionem Hydrargyri adhibuit: quod etiam Fallopius ſcribit libro de morbo Gallico, capite LXXVI. in hunc modum. *Prima ratio empirica, qua ſanatus eſt morbus in Italiâ fuit ab argento viuo ſumpta. quoniam cùm cœpiſſet graſſari morbus, Chirurgici, qui nitebantur omnem lapidem mouere, cum legiſſent Hydrargyrum nimium valere ad ſcabiem rebellem, cumque primis temporibus lues hæc vlcera afferret, experti ſunt argentum viuum, & feliciter quidem. vnde multi diuites facti ſunt: Inter quos Iacobus ille Carpenſis, cum ſolus calleret ſecretam hanc Medicinam, ita opulentus redditus eſt ſolo iſto quæſtu, vt teſtatus fuerit numeratam pecuniam* 40000. *ſcutatorum, præter argenteam materiam; quæ omnia* Duci *Ferrariæ reliquit: omnis enim aqua ad mare currit. Hic ita erat infenſus Hiſpanis, vt, cùm eſſet Bononiæ, geminos ex ijs laborantes morbo*

Gallico

Gallico ceperit, & viuos anatomicis admini-ſtrationibus deſtinauerit; quamobrem profligatus Ferrariæ obijt.

PETRVS LEONIVS.

PETRVS LEONIVS Spoleti natus, multo acumine perſpicacis ingenij, eruditaque facundiâ, inter Medicos primus ferè prolato Galeno, verum Medicinæ limen aperuit, quum in clariſſimis Italiæ Gymnaſijs profitendo exercendoque artem ſummâ nominis authoritate, non ex fæculentis Arabum Lacunis; ſed ex puriſſimis Græcorum fontibus haurienda præcepta artis, atque remedia docuiſſet. Is erat validis diſciplinarum omnium præſidijs inſtructus, ita vt Aſtrologiæ, & veteris item Magiæ peritiſſimus haberetur: quod de euentu grauiſſimarum rerum diuinâ prædictione iudicare conſueuiſſet. Conſtat enim eum amicis ſæpe dixiſſe, ſibi ſubitæ mortis periculum in aqua portendi: vnde flumina, crebraſq; nauigationes formidaret, quam ob cauſam, quùm alia omnia ad quæſtum & decus ſecunda retineret, è Patauio, Venetijsque in Vmbriam, & Spoletum emigrarit, vt muta â

ſede, nauigationum occaſiones effugeret. Sed fata vbique viam inueniunt. Inde enim Laurentio Medice, ſupremâ valetudine tentato, Florentiam accitus, adeo inani, aut certè fatali ſpe conceptâ de ſalute decumbentis, occultans atrocis morbi impetum contempſit, vt oblata ab alijs, ex arte remedia rejiceret, & inſurgentis naturæ viribus nihil verendam morbi vim facilè ceſſuram polliceretur. Verùm non diu pòſt ab eâ cunctatione, detectâ malignitate pituitæ, ægroque ſenſim deficienti ſupervenit Lazarus Placentinus, illuſtris Medicus à Ludouico Sfortiâ Ticino miſſus, ſera quidem afferens remedia: ſed obliquè Leonium iam toti familiæ inuiſum perſtringens, quod neglectis morbi initijs facillimæ curationis occaſiones contemnentis imprudentiâ deperiſſent. Per hunc modum exſpirante Laurentio, Leonius ex infamiæ dolore, commotâ mente, exitialem inſaniam, lugentiumque familiarum lethale odium contraxit, ita vt in proximæ Caregio villæ puteum, ſponte, an illatâ vi incertum, præceps datus mergeretur. Fuêre qui Petri Medicis feruidâ irâ mortem Patris more barbaro vindicantis id ſcelus admiſ-

ſum

ſum crederent, vti Actius Syncerus Etruſco carmine deplorauit. Sed nullum omnino præclarius patratæ necis argumentum exortam inde ſuſpicionem fouet, quàm ipſius authoris, par ſceleri ad iuſtam pœnam interitus, quùm ille è Clade Gallorum ad Lyrim fugiens in oſtio fluctibus naue obrutâ fœdè perierit. *Iouius:*

MARSILIVS FICINVS.

QVVM clariſſimi Græcorum Theodorus Argyropylus, & Trapezuntius, veluti ex condicto inter ſe diſtributis operibus in traducendo Ariſtotele ad non obſcuram æmulationem verſarentur; vnus Latinorum Marſilius Ficinus diuinæ Philoſophiæ amore incenſus, transferendi Platonis negotium ſuſcepit, atque perfecit, vſque adeo feſtinatâ felicis ingenij fæcunditate, vt plerique in puſillo eius corpore, quod vix ſemihominem æquaret, tantam vim inuſitati ſpiritus, & tantas vtriuſque linguæ facultates vigere mirarentur. nam eundem quoque inſatiabilis ſtudij tenorem ſecutus, Plotinum, Iamblicum, Syneſium, & Pſellum, Platonicæ ſectæ nobiles authores latinos

nos effecerat, hortante quidem Coſmo Medice, & mox traditâ per manus ſummæ virtutis hæreditate, Petro filio, & Laurentio nepote ſuffragantibus. Ex eâ ſiquidem ornatiſſimæ domus liberali diſciplinâ, Ficinus honeſtiſ ædibus, peramœnâ villâ, ſacerdotio, annuiſque ſtipendijs, atque muneribus ſeſe adauctum, & cumulatè perornatum ſenſit. Contemnebat enim maiores opes, vir minimè ambitioſus, & nitidæ, iucundæque vitæ ad bonam frugem percupidus, cùm vnam ſtudiorum laudem ſpectaret, nec vllis vnquam contentionibus miſceretur, quod rerum omnium præterquam vini ſubdulcis, voluptates abdicaſſet, nullâ quidem animi triſtitiâ, cùm eſſet omnino lætiſſimus: ſed exactiſſimâ ratione ad tuendam valetudinem, ſicuti deprehendere licet ex libris de triplici vitâ editis. Adeò enim moroſè ſibi ad ſpem vitæ blandiebatur, vt ſæpè eadem die, quùm aër incaleſceret, aut aliquo ſpiritu moueretur, capitis tegumenta permutaret. Sed cum ſodalium ſuorum acerba funera luxiſſet, Laurentij, Hermolai, Politiani, Mirandulæ, qui vno anno perierunt: Landiniique item, & Sauanorolæ, in Caregianâ ipſius villâ ſeptuage-

nario

nario prouectior febriculâ interijt, diro quidem omine, cùm eodem die, punctoq; temporis duo clariſſima Italiæ lumina Ficinum ipſum, & Paulum Vitellium, ſummæ, inuictæque virtutis Florentinorum Imperatorem, aliquando certiore inimicorum rabie, quam noxâ, capitali ſupplicio damnatum, vis ipſa fatalis exſtinxerit: & cùm eſſet in Alpibus Ludouicus Rex Gallorum, armatus irrumpens, vt ſingulas illuſtres domos, & ad vnum ferè omnes Italiæ principatus euerteret. *In re medica edidit libros de triplici vitâ, Antidotum epidemiorum, Orationem de laudib. Medicinæ.* claruit anno CIↃ CCCC XC.

LAVRENTIVS LAVRENTIANVS.

LAVRENTIVS LAVRENTIANVS aliquamdiu Florentiæ, & Piſis Philoſophiam Medicinamque profeſſus, ingenium elegantibus literis deditum, ad traducendum Hippocratem conuertit, quod Theodorus Gaza alioqui diligentiſſimus Interpres circumſcripti authoris Laconiſmis minimè ſeriò reſpondere videretur. Extant & eius eruditæ lucubrationes in Galenum Medicinæ Principis arcana perobſcurè interpretan-

pretantem; ſed in commentationum curſu planè miſer atrâ bile correptus eſt. Empturus enim domum eâ pactione tertiam precij partem numerarat; vt, niſi intra ſextum menſem totius ſummæ pecuniam repræſentaret, arrhabonis pecunia lucro venditoris amitteretur. Aduentante verò die cùm multa ei aduerſa ſpem fefelliſſent, diffiſus amicorum liberalitati, & iacturæ dolore perculſus, animum deſpondit, in profundumque puteum ſe coniecit, ſub id tempus, quò Petrus Soderinus erecto populari dominatu, tanquam dictator perpetuus, ſummâ cum moderatione Florentinæ Reipub. præſidebat. *Iouius.*

M. ANT. TVRRIANVS.

MARCVS ANTONIVS TVRRIANVS Veronenſis, diuino præditus ingenio, dum exactæ ætatis, inueteratæque authoritatis Medicinæ Profeſſores interpretationum ſubtilitate ſuperaret, priùs immiti fato gymnaſijs ereptus eſt, quàm admirandæ vtilitatis, exquiſitæque doctrinæ inchoata opera abſoluerentur. Elaborabat is profitendo ſimul, atque ſecando damnatorum cada-

cadauera anatomes volumen ex placitis Galeni quò Mundinum rudis ſeculi ſcriptorem, & Zerbum in eodem negotio delirantem iugulârat. Hic eſt Zerbus, qui ambitioſo, auaroque ingenio, quum accitus grandi pecuniâ penetraſſet ad Triballos, vt Schenderbaſſam recenti, & luctuosâ in Euganeos irruptione clariſſimum, intercute morbo liberaret, nec demùm quod inflatè promiſerat morienti præſtaret, à Barbaris ſeruis, vt Domini manibus eâ ſcilicet victimâ parentarent, trucidatus interijt: ita vt lepidè Turrianus in eum iocaretur, cùm libri eius errata diſpungeret, quaſi iure conciſus eſſet, quòd magnâ diſcentium iniuriâ perperam ſecando cadauera, ipſe viuus meritam talionis pœnam ſubiſſet. Natus eſt Turrianus ex ea perilluſtri familiâ, quæ ante trecentos annos Inſubribus imperarat, Patrem peracuto, excellentique Medicinæ profeſſore; Ita vt non mirum ſit ab ineunte ætate in eadem educatum diſciplinâ, multò maturiùs, quàm quique alius, ad primos ſuggeſtus honores Patauij, & Ticini perveniſſe. Præferebat os maxime venuſtum, ſerenâ quadam comitate occurrentium animos alliciens: verùm docendo, & diſpu-

diſputando mirus, prolatis Græcis authoribus, pudendos errores, & vitæ quidem exitiales oſtendebat, in quos Medici ex herbariæ facultatis, ac anatomes inſcitiâ cecidiſſent. Hoc eximio Præceptore in Gymnaſio Ticinenſi ſtudiorum vigilias pro concione laudante, de liberalibus diſciplinis, atque arte Medicâ, lauream, & annulum comprobatæ dignitatis ornamenta accepit Paulus Iouius, poſtea Epiſcopus Nucerinus: Exſtinctus eſt peſtiferâ febre, iuuenis triginta trium annorum; quùm Iulius Pontifex in Pſeudo-Cardinales, fauenteſque eis Gallos victritia arma in luctuoſum vtriuſque Rauennatis pugnæ euentum expediret. Luxêre Turrianum cuncta Gymnaſia, & diuturnis quidem lachrymis. Nemo enim eo in literis abſolutæ virtutis illuſtrius ſpecimen, nemo certiorem conſummatæ gloriæ ſpem dederat. Ad meritos autem titulos Veronæ nobili tumulo inſcriptos, Nicolaus Archius hoc lepidum carmen appoſuit:

Ante annos ſciuiſſe nocet; nam maxima virtus
Perſuaſit morti, vt crederet eſſe ſenem.

THO-

THOMAS LINACRVS.

THOMAS LINACRVS ex Inſulâ Britanniâ ad perdiſcendas Græcas literas in Italiam profectus, Florentiæ Demetrium, & Politianum audiuit, eaque enituit morum ſuauitate, atque modeſtiâ, vt à Magno Laurentio liberis ſuis, familiari ſtudiorum conſuetudine, quanquam ætate maior, ſocius adderetur. Inde verò multis variæ doctrinæ ornamentis adauctus, quum Romana quoque ingenia certiùs agnoſcenda, ac opulentiores Bibliothecas inſpiciendas exiſtimaret, ad Vrbem contendit. In primo autem appulſu fortè accidit, vt Hermolao Barbaro amicitiâ iungeretur. Nam ingreſſo vaticanam Bibliothecam, & Græcos codices euoluenti, ſuperuenit Hermolaus, ad pluteumq; humaniter accedens, non tu, hercle, inquit, ſtudioſe hoſpes, vti ego planè ſum, Barbarus eſſe potes, quod lectiſſimum Platonis librum (is erat Phœdrus) diligenter euoluas. Ad id Linacrus læto ore reſpondit; Nec tu ſacrate Heros, alius eſſe iam potes, quàm ille fama notus Patriarcha Italorum Latiniſſimus. Ab hac amicitiâ, (vti

caſu euenit) feliciter conflatâ, egregijs demum voluminibus ditatus in Britanniam redijt: datusque eſt Præceptor Arcturo Regis filio, cui dicatam Procli Sphæram legimus. Tranſtulit demum ex felici vigilia Galeni librum de tuenda valetudine, quùm in arte medica æque doctus, & fortunatus ſpectaretur. Verùm ab eo munere veluti queſtuoſo potiùs, quàm ad parandam perennem gloriam nobili, refugit àd antiqua optimarum literarum ſtudia, reuocatus ſocietate Latomeri, atque Grocinij, qui conſtituto triumviratu, ad immortalem laudem, vertendum Ariſtotelem communicato labore ſuſceperunt: ſed Grocinius ad oblatum ſibi ſacerdotium, à decreto fideque diſceſſit; & Latomerus conſilio excuſſus eſt: Ita vt Linacro egregiæ voluntatis decus maneret apud Henricum Octauum. Sexageſimo autem, & quarto ætatis anno, ex dolore diſruptæ herniæ vitâ excedens honeſtam domum Londini Medicorum Collegio dedicauit.

NICOLAVS LEONICENVS.

NEMO profitentium Medicorum Nicolao Leoniceno Vicentino vera ſalutaris

lutaris ſcientiæ dogmata puriùs, atque nitidiùs explicauit. Nemo errores Sophiſtarum importunâ garrulitate cuncta fœdantium eloquentiùs, atque validiùs confutauit. Nemo eo demùm ad illuſtrem certioris peritiæ fidem longiùs, atque ſalubriùs vitam produxit. Primus enim Græca Galeni volumina Latinè interpretando ſtudioſis perdiſcenda demonſtrauit, imperitorum latratibus, publicatis ſummâ eloquentiâ commentarijs occurrerat, vtpote qui ab ineunte ætate optimis literis deditus, ingentes opes capacis, & maximè conſtantis ingenij ad illuſtrandam Medicinam contuliſſet. Cibi enim & vini maximè abſtinens, ſomniq́ue minimi, præſertim verò Veneris continentiſſimus, vſque adeo mollioris vitæ voluptates abdicauit, vt pecunias, luxuriæ inſtrumenta, nec agnitâ quidem monetæ notâ, contemneret, oblatum, & nullâ delectum curâ cibum caperet. nec vnquam de fortuna quereretur, quod vnam vir acutus, ſtudiorum laudem reſpiceret, nec opportuna mediocris vitæ ſubſidia, benignitate Ferrarienſium principum Herculis, Alphonſiq́ue filij, ſibi defutura proſpiceret. Eum hercle perfectum ſtoicum putaſſes, niſi honeſto

ori hilaritas affuiſſet: edidit eruditum, & perelegantem librum, qui Romanus Medicus, Antiſophiſta inſcribitur, quùm ante de ordine trium doctrinarum, & de virtute formatiua perutiles libellos publicaſſet. Dionis quoque hiſtoria, & Luciani Dialogi, vernacula Italorum lingua loquentes, Herculi Latinarum literarum imperito mirè placuerunt. Peruenit ad nonageſimum annum integerrimis ſenſibus, vegetaque memoria, nec incurua quidem ceruice, cum eſſet ſtaturæ celſioris, & ſine ſcipione venerabilis. Cum verò Iouius aliquando comiter ab eo peteret, vt ingenuè proferret, quonam arcano artis vteretur, vt tanto corporis, atque animi vigore vitia ſenectutis eluderet. Viuidum, inquit, ingenium perpetúa vitæ innocentia, ſalubre verò corpus hilari frugalitatis præſidio facilè tuemur.

IOANNES MANARDVS.

IOANNES MANARDVS Ferrarienſis ab ineunte ætate Medicinæ ſtudio addictus ad intima Hippocraticæ diſciplinæ arcana penetrauit: ſed neque Arabum ſcripta contempſit,

tempſit, ita tamen, vt ſe acerrimum Barbariæ impugnatorem exhiberet, artemq́; ſordibus obſitam nitori ſuo reſtituere ſedulò conaretur. Ad quod præter egregias naturæ dotes, magna quoque inſtitutionis ſubſidia habuit. Hæc enim à teneris illi felicitas obtigit, vt optimis Præceptoribus vſus per omnem honeſtarum artium cultum ierit. Medendi verò ſcientiam Leoniceni diſciplina hauſit: quamuis inſtar Ariſtotelis aduerſus magiſtrum vſque adeò recalcitret, vt libro IX. epiſtol. med. I. quòd aliqua Galeni verba, non bona fide allegaſſet, falſarium appellare non vereatur. In Pannonia Vladislao Rege aliquamdiu medendi artem exercuit, eandemq́ue demùm in Gymnaſio Ferrariæ profeſſus, epiſtolarum libros XX. edidit, & cenſuras in medicamina ſimplicia, & compoſita Meſuæ, quibus magna medentibus, & Pharmacopolis vtilitas paratur, quum terræ frugibus, Indicisq́ue præſertim in Medicinæ vſum adoptatis, obſoleto antiquo nomine, & incerta virium poteſtate perobſcuris eruditam claritatem attulerit. Duxit vxorem planè ſenex, & articulorum dolore diſtortus, ab ætate, formaq́ue Florentis Iuuenis thoro

dignam, adeo leui iudicio, & lethali quidem intemperantiâ, vt maturando funeri ſuo, aliquantò prolis, quàm vitæ cupidior ab amicis cenſeretur. Obijt Ferrariæ anno CIↃ. D. XXXVI.

IOANNES RVELLIVS.

RVELLIVS in vrbe Sueſſionum natus, quùm ſuſceptis liberis vxorem extuliſſet, abdicatâ medendi arte, ſacerdotium in Templo Deiparæ virginis, Lutetiæ Pariſiorum, Poncherij antiſtitis liberalitate promeruit, totumque id ocium optimis literis, vt fortunis auctum decebat, impendit; non ignobili gloriæ prouentu, quum eruditionis authoritate Budæo proximus eſſet, & latini ſermonis nitidâ puritate ſuperior haberetur, vt præclarè indicat Dioſcorides in Latinum è Græco emendatè traductus. Leguntur libri aliquot probè, fideliterque translati, de Mulo medicinâ, & Actuarij Medici volumen de vrinis: ſed proprio vſus ingenio libros tres de naturâ ſtirpium perſcripſit, Theophraſtum in multis, & Plinium eleganter æmulatus. Extant quoque ſingulari diligentiâ translati è Græco.

Quin-

Quinque libri de Agriculturâ ex viginti, qui nomine Conſtantini circumferuntur: reliquos Coroneus Gallus vertiſſe dicitur: ſed Cornarius Germanus expeditâ facundiâ celeber, vniuerſos viginti latinitate donatos nuper publicauit. Erat Ruellius natura modeſtus, & lenis, vultu multo rubore ſuffuſo, & reſimis naribus, ſtaturâ verò mediocri. Sexegeſimo ætatis anno vitâ functus eſt, paulò antequam Rex Franciſcus niuoſas Alpes, vt Copijs ſuis Cæſarianorum impetu perculſis fortiter opem ferens ſubalpina oppida ſummotis hoſtibus in fide confirmaret: vt inde in ſpem inauſpicatæ pacis induciæ pararentur.

Antonius Galatheus,

Hic è Salentino extremo Italiæ angulo perilluſtris Medicus, atque Philoſophus, ſtudia, quæ ſectabatur, optimis literis expoliuit, extenditque ingenium, vſque ad Poëticam laudem, ob id Pontano, Hermolaoque grauiſſimè celebratus. Eius extant præter Etruſca carmina, & Phyſicæ quæſtionis ſubtiles libellos, Iapygia Chronographicè deſcripta: quæ cum anti-

quis comparanda cenſentur. Sed tum cum lepore doctus, & vrbanus apparuit, quum in curatione Podagræ leniendo dolori eius inſanabilis morbi encomium feſtiuiſſimè ceciniſſet.

MARCELLVS VIRGILIVS.

MARCELLVS VIRGILIVS Florentinus, vir inſigni vultus, & ſermonis ſuauitate præditus, omnium in ſe ora vertebat, ſiue è ſuggeſtu Iuuentutem doceret, ſiue in coronâ loqueretur. Ex eo autem officij munere, quod antea Aretini, Pogijque fuerat; ab epiſtolis Reipub. operam præſtabat; quum ſuppeteret otium tertio muneri vacare erat ſolitus. Suſceperat enim Dioſcoridem omnino traducendum expetentibus Medicis: petebat enim ex eo labore non obſcuram laudem, quod in perdifficili herbario negotio, ab ineunte ætate accuratiſſimè deſudaſſet. Sed edito opere ſtatim in publicum exierunt duæ omnino diuerſæ interpretationes, altera Hermolai, quæ extincta putabatur; altera Ioannis Ruellij à Latini ſtili munditijs multò maximè laudata; Quæ huius verſionem quidem ele-

eleuauit; quamuis ob addita commentaria non minus frequentetur.

GVILHELMVS COPVS.

GVILHELMVS ÇOPVS Baſileenſis ab exacta doctrina, feliciq́ue artis induſtria Medicus, Franciſco Galliæ Regi, repetita ſæpe memoriâ magnoperè deſideratus, non pauca Galeni Scriptorum tranſtulit, vt, de locis affectis, de morborum differentijs, & cauſis, Pauli etiam Aeginetæ præcepta, & Hippocratis prognoſtica.

IOAN. BAPT. MONTANVS.

IOANNES BAPTISTA MONTANVS, Veronenſis, familiâ nobili ortus, in vera docendi ratione, explicandiſq́ue medendi authoribus, acris ingenij, & exquiſiti iudicij laudem promeruit, quùm ad aperiendos, perpurgandoſq́ue melioris doctrinæ fontes, velut à Deo factus eſſe prædicaretur. Prima quidem egit artis experimenta Veronæ, Brixiæ, & apud Hippolytum Medicen purpurati ordinis Patrem, ea præcellentis doctrinæ fama, nominiſq́ue celebritate, vt ab

illuſtriſſimo Reipub. Venetæ Senatu ad actualis Medicinæ profeſſionem circa annum CIↃ D XL. honorificè Patauium euocaretur. Quo in quatuor annos verſatus, ad eam Medicinæ partem, quæ in contemplatione conſiſtit, explicandam mox transfertur. Et hanc prouinciam ſeptem annos laudabiliter obiuit. Tandem cum Feriarum natalitiarum tempore prælectiones ſuſpendiſſet, calculo renum morbo ſibi familiari vexatus, per ingentes cruciatus aliquamdiu vitam egit, ac lentâ demum tabe confectus obijt anno CIↃ IↃ LI. cùm annum ætatis LXIII. attigiſſet. Splendidum in Patria monumentum ei gentiles erexerunt. Aetij libros decem tranſtulit. Scripſit præterea,

Metaphraſim eorum, quæ ad medicamentorum doctrinam attinent.

De gradibus, & facultatibus medicam.

Expoſitionem in nonum Rhaſis ad Almanſ.

Explicationes in Aphoriſmos Hippocratis.

De fæcibus, & vrinis lib. II.

Quæſtionem de medicamento æquali & inæquali.

Conſiliorum opus.

In primam Fen. Auicennæ.

In

In artem curandi ad Glauconem.
In artem paruam.
De ſimplicibus medicamentis.
In primum Hipp. Epidem.
Examen aureæ Alexandrinæ.
Ideam Hippocratis.
De aquis diſtillatis.
De coctione & præparatione humorum.
De differentijs medicam. ſimpl.
Explicationem qualitatum ſimpl. & comp. medic.
Periocham methodicam in Galeni libros.
Methodum vniuerſalem in artem Galeni ad Glauconem.
De componendis medicamentis.
De elementis.
De atra bile.
De natura humana.
De temperamentis & naturalibus facultat.
De generatione pituitæ.
Explicationem locorum Medicinæ.
De morbo Gallico.
De vteri affectibus.
Summariam declarationem eorum, quæ ad vniuerſam cognitionem maximè faciunt.
De Characteriſmis febrium.

Quæ-

Quæſtiones de febre ſanguinis, de febre hectica, & peſtilente.

De ordine in edendis legendiſq; Galeni libris ſeruando.

BASSIANVS LANDVS.

BASSIANVS LANDVS Placentinus, Montani diſcipulus, & in Profeſſione ſucceſſor, Præceptoris veſtigia ſecutus, ad abſolutam medendi ſcientiam, non mediocris literaturæ cultum attulit, eoque doctrinam reddidit illuſtrionem. Sed in ipſo ſtudiorum curſu miſerabilis fati caſus oppreſſit. Quippe noctu à ſicarijs confoſſus, ingenti cum luctu diſcipulis deſiderium ſui reliquit. Celebratur eius

Iatrologia, quam Iuuenis conſcripſit.

Dialogi duo ad Herculem Eſtenſem Ferrariæ Ducem II. quibus continetur methodus cognoſcendorum curandorumq; morborum.

De humana hiſtoria libri II.

Demoſthenis oratio contra Androtionem latinè verſa.

Ecphraſis de motu.

Ecphraſis de tempore.

Ecphraſis de loco.

Præfa-

Præfatio in Aphoriſmos Hippocratis.
Libellus de vacuatione.
Liber Epiphylidum.
Annotationes in Terentium.
Paraphraſis in libros Ariſtot. de anima.
Commentarius in artem paruam.
De origine & cauſa Peſtis Patauinæ, anno CIↃ D LV.
De incremento.
De naturâ cœleſti.

VIDVS VIDIVS.

VIDVM VIDIVM Florentinum Franciſcus I. Rex Gallorum, ille felicium ingeniorum æſtimator æquiſſimus, valetudini ſuæ præfecit, & Lutetiæ Pariſiorum primo loco docere Medicinam voluit, quùm neminem magis idoneum iudicaret, qui cum ſummis viris, quos vndique exciuerat, Academiam ſenio effætam, doctrinæ ſuæ fama rurſum, ceu firmata ſtirpe, reſtauraret. Verùm anno CIↃ D XLVII. cùm maximus ille omnis eruditionis Patronus fato conceſſiſſet, à Magnanimo Duce Medice reuocatus in Patriam rediјt, ſed opulentus admodum, & opimis ſacerdotijs auctus,

auctus, quæ effuſâ Regis liberalitate poſſidebat. Ergo redux ampliſſimo honorario Piſis medicinam docuit, & per viginti annos, illius gymnaſij decus ſecundiſſimo totius Italiæ rumore ſuſtinuit.

Edidit Chirurgiam è Græco in Latinum à ſe conuerſam cum commentarijs Galeni & ſuis, in quibus continentur commentarij in libros Hippocratis de vlceribus; de fiſtulis; de vulneribus capitis, de fracturis, de articulis: Galeni liber de faſcijs, Oribaſius de laqueis & machinamentis. Vidus Vidius autem eius ex fratre nepos ex fragmentis collegit *primam, & ſecundam partem methodi generalis.*

VICTOR TRINCAVELLIVS.

VICTOR TRINCAVELLIVS familiâ inter Venetos clarâ ortus, generis ſplendorem doctrinæ gloriâ promouit. nam Latinis literis ad vnguem imbutus, ad Medicinam acceſſit; Cui cùm magnum à Græca linguâ ſubſidium afferri poſſe videret, animum ad eam appulit, tantaque felicitate perdidicit, vt paucos in eâ pares per id temporis haberet. Diſciplinæ Tyrocinia Patauij fecit. Inde Bononiam ſe contulit; vbi

vbi iuuenis admodum, Præceptoribus extra Arabum barbariem ſeſe efferre luctantibus, in explicandis Græcorum locis operam præſtitit, quam nec ipſi diſſimulare potuerunt, cùm egregiâ ſcientiæ prærogatiuâ Græcum vulgò appellarent. Acceptis ſupremæ laureæ inſignibus, in locum Sebaſtiani Foſcareni Venetijs docere Philoſophiam ab Illuſtriſſimo Senatu coactus, ita ſe gnauum exhibuit, vt conceptam de ſe opinionem antevenerit, & omnium ante ſe Philoſophorum nomen obſcurarit. Sub hæc Maranenſes magnis conditionibus ad ſe invitarunt, à quibus ob loci amœnitatem ſe perſuaderi paſſus eſt. Sed Veneti hoc ſuæ Reipublicæ decus ereptum ægrè ferentes denuò reuocarunt, & præter ingens ſtipendium exquiſitis etiam honoribus affecerunt, & exemplo perquàm raro, in publicis conceſſibus ſenatorium ordinem adſignarunt. Defuncto Montano ſenatus ſucceſſorem deſtinauit, cùm iam annum ageret ætatis quinquageſimum nonum. Itaque Patauium conceſſit, relicto magnæ vrbis queſtu, quem tria aureorem millia excedere conſtabat; & in obſequium Reip. mille ducentis authorari voluit. Docendi munus

annos

annos XIII. obiuit. Annum autem agens ſecundum & ſeptuageſimum febre perijt. Sepultus Patauij apud Crucigeros nobili monumento.

Scripſit de ratione componendorum medicamentorum.

Explanationem in Galeni librum de differentijs febrium, & in priorem de arte curandi ad Glauconem.

Conſilia, & epiſtolas.

Tractatum de reactione.

De vena ſectione in pleuritide.

De febre peſtilenti.

De ratione curandi particulares corporis affectus.

Enchiridion de cognoſcendis tam externis, quam internis humani corporis morbis.

Tranſtulit etiam Galeni librum de conſtitutione artis.

IOANNES FERNELIVS.

INTER Gallici nominis inſignes viros, qui editis in lucem ingenij ſui monumentis illuſtrem in medendi ſcientiâ famam ſunt conſecuti, Ioannes Fernelius omnium clariſſimus enituit; qui cum ſummâ doctrinâ ſingu-

ſingularem dicendi facultatem tantâ felicitate coniunxit, vt decreta perſpicacis ingenij acumine diſquiſita pari facundiâ conſignaret. Non ergo falſus eſt iudicij Henricus II. Gallorum Rex, qui dum generoſâ paternæ virtutis æmulatione ſibi viros eminentiſſimos adiungit, hunc præcipuè delegit, cui curam valetudinis regendæ committeret. Cuius muneris ille partes egit eâ diligentiâ, & nominis exiſtimatione, vt apud Regem, atque Reginam longè gratioſiſſimus eſſet. Quin etiam hæc crebris vſurpare ſermonibus ſolebat, eius induſtriâ reſtitutam ſibi fœcunditatem; quodque tot liberorum mater eſſet, vni acceptum referri oportere Fernelio, qui naturæ ad iniuriam ſterilitatis languenti, opportuno remediorum auxilio ſubueniſſet. Sed Rex, quâ erat animi magnitudine, tam excellens ingenium ſibi tantum ceſſare noluit; ſed omnium ſeculorum, gentiumque ſaluti natum eſſe putauit. Igitur communi mortalium vtilitati conſulens, otium ei fecit, & iuſſit, vt veterum medendi præceptiones pleniore doctrinâ, pluribuſque obſeruationibus illuſtraret. Itaque Fernelius poſthabito quæſtu, quamuis Principum obſequiis

& ciuium officiis implicatus, magnâ contentione laboris, magniſque lucubrationibus vniuerſæ medicinæ opus abſoluit, quo confuſaneam Græcorum doctrinam perſpicuo compendio, & ordine comprehendit, Arabumque errores firmiſſimis argumentis emendauit, eorumque fœdam barbariem puri ſermonis elegantiâ profligauit. Hinc Baſſianum Landum acerrimo ingenio virum, & Philoſophiæ præceptis, literiſque politioribus egregiè cultum, lecto Fernelii libro, in hanc vocem prorupiſſe Crato refert: *Gallus iſte, ingenij, & doctrinæ luce, atque ordine nobis Auicennam, vel totum obſcurabit, vel, vt multos eius errores videamus, faciet.* Et multò plura vidiſſemus, ſi diutius ſupereſſe potuiſſet. Sed vir immortali vitâ dignus, cum annum ageret ætatis XLIX. acerbo funere raptus eſt, VI. Calend. Maij CIↃ IↃ LVIII. Quod F. Thorius numerali diſticho notauit.

ConIVge FerneLIVs raptâ perCVLsVs,
 Vt aVLæ,
Vt LVCIs fatVr, Vt noMInIs InterIIt.

Filiam reliquit ſuperſtitem, quam Philibertus Bariotius præcipuæ dignationis vir, & in

& in magno Regis concilio Præſes, ſupplicumque libellorum in Regiâ magiſter vxorem duxerat.

Hoc elogium Fernelio tribuit Thuanus libro XXI. Hiſtoriarum. *Sexto poſt die* (poſt VIII. Calendas Apriles) *apud nos Ioannes Fernelius Ambianus, cum LII. annos exegiſſet, Regis Archiatros Lutetiæ ad B. Iacobi in Macello ſepultus: Qui cũ plures annos in Philoſophicis, ac Mathematicis ſtudiis ſummâ cum laude exegiſſet, demum Medicinæ ſe totum mancipauit, & vniuerſam doctiſſimis ac politiſſimis ſcriptis complexus eſt. Qui etſi morte præuentus non edidit omnia, vt nec propriarum obſeruationum deſideratiſſimos libros; tantum tamen veræ gloriæ iis quæ publicata ſunt, Europâ totâ eſt adeptus, vt tanto viro diſciplinæ ſuæ alumno Schola Medicinæ Pariſienſis æternùm ſit iure gloriatura.*

ANDREAS VESALIVS.

QVI medendi laborem fruſtra ſuſcipi norunt, ab iis, qui naturam corporis humani cognitam, penituſque perſpectam non habent; ſuis etiam momentis rectiſſimè

perpendent, quantum ægra mortalitas ingenio Veſalij debeat, qui Anatomen, & mutilam, & erroribus obſitam, adeo felici conatu reſtituit, & expleuit, vt ante eum rudis, & inchoata ſolum, ab eo autem perfecta, & omnibus numeris abſoluta fuiſſe videatur. Fallopius inter diſſectionum magiſtros eximius, Veſalij decreta primùm tanti fecit, vt ab iis diſcedere ſibi nefas eſſe putaret; & cùm rerum vſu peritior in eius placita minutâ diligentiâ inquireret, vbique ſummam venerationem adhibuit, & *Diuini* nomine ſemper exornauit. Et ſanè opus illud *de corporis humani fabricâ*, certiſſimis demonſtrationibus aptum, & grauiſſimo dicendi genere conditum, robuſti ingenij diuinum vigorem, eruditionemque pertinaci ſtudio auctam longè, lateque oſtentat. Maior etiam erit admirandi cauſa, ſi ad ætatem eius reſpiciamus. Nam quo tempore diſcere plerumque ſolemus, ille docendi munus impleuit, & tam exquiſitæ doctrinæ monumenta anno ætatis XXVIII. elucubratus eſt. Porro decus hoc Orbi terrarum Bruxella dedit, nobiliſſima Belgarum ciuitas, & Principum ſedes. In ea natus anno CIↃ IↃ XIII. pridie Calend.

Maij.Sed origo vetus à VVeſalia, celeberrimâ Cliuiæ ciuitate. Pater illi fuit Andreas veſalius maximi Cæſaris medicamentarius. Auus Euerardus cuius eruditiſſimas commentationes in libros Rhaſis, & in quatuor priores Aphoriſmonũ Hippocratis ſectiones, & plura Mathematicæ ſcientiæ documenta, quæ ſingularem viri induſtriam oſtenderent (etſi XXXVI. ætatis annum non exceſſerit) ſe habuiſſe Veſalius ipſe teſtatur *epiſtolâ de radice Chyna*. Atauus Ioannes, Medicus Mariæ Valleſiæ, quæ vnica Burgundicæ domus hæres Maximiliano Cæſari nupſit. Hic ſenio grauis, & aulæ pertæſus, Euerardo filio ſibi ſubſtituto, Louanium conceſſit, ibique ocium non ignauum ſecutus medicinam docuit. Abauus Petrus medicus etiam præclarus; cuius lucubrationes in quartam Fen. Auicennæ, cum multis aliis à matre ſeruata meminit Andreas noſter, & in iis fuiſſe libros maximo ſumptu deſcriptos, qui illius æui medicis erant familiares. Tot vna familia medicos perpetuâ ſerie tulit, vt artem dicere poſſis in eâ diu cultam quò tandem abſoluta prodiret. Sic olim Aſclepiadæ medendi ſcientiam diu ſoli retinuerunt, vt eam Hippocrates vniuerſo

communicaret. Igitur à Patre Louanij liberaliter in primis ſtudiis educatus, medicinæ rudimenta, ſub diſciplinâ Iacobi Syluij, Lutetiæ Pariſiorum egit; ibidemque ſecandi rationem penitus obſoletam, ſtupentibus etiam ad rei nouitatem magiſtris, ab interitu vindicauit. Mox etiam Louanium inſolentis rei ſpectaculo in ſe conuertit; & adminiſtratis aliquamdiu ſectionibus ipſos profeſſores ad exactiorem corporis humani contemplationem inflammauit. Inde in Italiam bonarum artium altricem profectus, Bononiæ, & Piſis, in celeberrimo eruditorum virorum conſeſſu, artem hanc tantâ ſecandi, enarrandique peritia pertractauit, vt iam tum veterum gloriam obſcuraturus eſſe crederetur. Ergo Veneta Reſpub. quæ, ſi quid vſpiam egregium eſt, ad ſe pertrahere ſolet, circa annum CIↃ IↃ XXXVII. liberalitate largè munificâ ad Patauinum gymnaſium euocauit. Atque ibi ſeptem annos eam in hominis conſtructione inueſtigandâ operam nauauit, vt nihil ad conſummatæ ſcientiæ laudem ab Auditoribus requireretur. Sub hæc eum Cæſar, & Cæſaris filius, Philippus, Regum maximus, valetudini ſuæ præfecerunt; ſed rebus haudquaquam

quam ex animi ſententiâ fluentibus, auerſus ab aulæ ſtrepitu conditionem mutauit, iterque in Paleſtinam, & loca Sancta ſuſcepit. Inde redeuntem infamis tempeſtas excepit, & non auſis mergere tam clarum caput fluctibus, in vaſta Zacynthi nemora diſtraxit; vbi miſerâ ſolitudine, rerumque inopiâ preſſum morbus exſtinxit. Monumento addita eſt hæc inſcriptio; ANDREAE VESALII BRVXELLENSIS *tumulus, qui obijt idibus octob. anno* CIↃ IↃ LXIIII. *ætatis verò ſuæ* LVIII. *cum Hieroſolymis rediiſſet.* Argenterius indicat æmulorum calumniis fuiſſe traductum; ait enim in præfatione ad lectores. *An non etiam Veſalius à Cæſaris aulâ, & familiâ ob id propemodum eſt excluſus, quod aduerſus Galenum ſcripſiſſet? Quid non moliuntur adhuc in illum Galeni ſectatores? quem profecto amore, non odio proſequi oporteret ſi modo ſenſibus noſtris magis quàm hominum præiudicatæ opinioni addicti eſſemus:* &c. Præter libros VII. *de corporis humani fabricâ*, ſcripſit *Paraphraſim in nonum librum Rhaſis ad Almanſorem. Epiſtolam qua docet venam axillarem dextri cubiti in dolore laterali ſecandam. Epiſtolam qua docet rationem propinandi radicis Chynæ decoctū, in qua pluri-*

ma anatomica pertractantur. Emendauit etiam tranſlationem Anatomicorum aliquot Galeni librorum. Chirurgiam magnam eius, recognitam, & emendatam edidit in lucem Proſper Borgarutius. Memorabile in primis quod refert Thuanus libro v. Hiſtoriarum: *ferunt*, inquit, *Buranũ* (is fuit Maximianus Egmondanus) *iam deploratâ ſalute, cùm ei Andreas Veſalius raræ doctrinæ, ac iudicij Medicus, mortis horam, ac penè momentum prædixiſſet, magno apparatu conuiuium inſtrui iuſſiſſe, & omni gazâ, ac ſuppellectile expoſitâ, amicos vocaſſe, quibuscum menſæ aſſidens, dona liberalitate ſummâ diſtribuerit, atque extremum vale nihil commoto animo dixerit; inde lecto impoſitum horâ, & momento à Veſalio prædictus exſpiraſſe.*

Miſerum Veſalij fatum elegantiſſime deſcribit Thuanus libro xxxv. hiſt *Andreas Veſalius*, inquit, *Bruxellis in Brabantiâ natus, præſtantiſſimus, & opere de fabricâ humani corporis edito clariſſimus, cum animi gratiâ, cũ Iacobo Malateſtâ Ariminenſi, terreſtrium copiarum Senatus Veneti duce in Cyprum nauigaſſet, à Senatu Veneto, honorificis ſtipendiis oblatis, vt Patauij profiteretur, euocatus, dum redit aduerſis ventis ad Zazynthum inſulam*

delatus

delatus, in loco ſolitario vitam miſerabiliter finiit, menſe Octobri, cum vix quinquageſimum ætatis annum attigiſſet, ab Aurifabro, qui forte illuc paulò poſt appulit, agnitus, & ne eſca feris fieret, vili funere conditus.

HIEREMIAS TRIVERIVS.

REctè atque ordine Vezalium Hieremias Triuerius excipiet, quos & laus doctrinæ rarioris coniungi poſtulat; & inter vtriuſque poſteros contracta affinitas, ſeparari vetat. Is igitur pago Flandriæ nobili, & amœno ortus eſt. Vulgò *Brakele* vocatur; vnde Brachelij nomine paſſim laudatur. Ipſe autem Triuerius in actis facultatis Medicæ Louanienſis vbique ſe Gerardimontanum inſcribit. Nec iniuriâ; cum Pagus ille Flandriæ Imperialis, ſub Gerardimontanâ ditione comprehendatur. Idque adeo lubens commemoro, vt hanc Patriæ meæ gratiam referam; de qua mihi prædicare fas, quod in Tunæo de Athenis Plato, Regionem eam placidâ montium temperie amœnam, videri à Mineruâ delectam, quam non infelicem ingeniorum altricem fore proſpexiſſet. Et enim vix aliam

reperias ciuitatem, quæ tam anguſtis arctata ſpaciis, & in eâ ciuium infrequentiâ tot viros eruditione præſtantes extulerit. Igitur hoc editus loco Triuerius non ſolùm inter prima noſtræ Patriæ, ſed totius etiam Belgicæ decora merito cenſeri debet, quippe eximia vberis ingenij felicitate medicinam Louanij diu profeſſus, multa accuratæ doctrinæ monumeta reliquit, quibus apud poſteros famæ nunquam inter morituræ gloriam ſibi comparauit. Tanta enim in iis eruditionis firmitas, tantáque iudicij conſtantia, vt etiam hodie, quod paucis oppidò conceſſum, in Doctorum virorum ſcriptis, cultiſſimarumque gentium ſcholis non ſine nominis honore frequententur. Eorum autem maximam partem filius eius Dionyſius, immaturâ morte maioribus conatibus ereptus, in lucem edidit. Sunt autem

Commentarij in Hippocratis aphoriſmos.
In lib. eiuſdem de victus ratione in acutis.
In lib. Galeni de temperamentis.
In librum I. Cornelij Celſi
Oratio ad ſtudioſos de duobus hodie ſectis & ipſarum methodo.

Diſpu-

Diſputatio cum Ariſtotele, & Galeno de natura ſolidarum partium.

Paradoxa variarum diſſectationum argumenta.

Sed his ingenij muneribus excellentem fato doctrinæ raro inter viuos fortunatæ, mors præmatura gloriæ fructu priuauit. Conceſſit enim naturæ, lentâ tabe confectus, cùm vix annum ætatis ſuæ LII. attigiſſet, Anno M D L I I I I. Verùm in parte felicitatis ei reponendum, quod in poſteritate non inglo-ria fama nominis reflorefcat. Quippe filiam reliquit PETRONELLAM Triueriã; *quæ* nupta CONRADO Syluio, iam vltrà L. annos Academiæ Louanienſi ab actis, cõſtãte per annos LV. matrimonio liberos edidit, quorũ, ſi vel ingenium ſpectes, vel eruditionem, non poſſit Auum pœnitere, CORNELIVM in eadem Academiâ Profeſſorẽ iuris Pontificij principem, iam ſecundùm ad ſumma Belgicæ concilia nuncupatum; IOANNEM, cuius inſignem prudentiam in munere Syndici (vulgo Penſionarium vocant) obeundo ciuitas Louanienſis indies experitur.

LEONAR-

LEONARDVS FVCHSIVS.

LEONARDVS FVCHSIVS natione Sueuus, patrio Wembdingenſis Medicus in Galeni doctrina egregiè verſatus, & Græcæ linguæ notitiâ, literarumq́ue auxilio affatim inſtructus bellum æternum Barbaris indixit, quos funditus ex omnibus ſcholis exterminare cupiebat. In quo purioris doctrinæ ſtudioſis vtilem omnino operam nauauit. Et quamuis inſultet Argenterius, ac vix Grammatici nomen illi concedat; Alius etiam alienæ doctrinæ decoctorem appellet; quicumq́ue tamen ad eius ſcripta vacuum ab affectu æmulationis animũ attulerit, cum præſtantiſſimis authorum, qui rẽ medicam poſteriùs attigerunt, meritò contendet; quemadmodum & Franciſcus Valleriola *medicorum ſui ſeculi Decus* appellare non dubitauit, Tubingæ medicinam profeſſus eſt, ibidemq́ue obiit VI. idus Maij CIↃ IↃ LXVII. anno ætatis LXV. plurima eius ſcripta omnium manibus teruntur

Methodus medendi

De compoſitione medicamentorum lib. III.

De curandis humani corporis egritud. lib. V.

Tabula

Tabulæ medicinæ ſummam complectentes.
Tabulæ in libros Gal. de morborum cauſa & ſympt.
*Paradoxorum medicinæ lib.*III.
Apologiæ tres aduerſus Guil Puteanum, Sebaſtianum Montuum, Hieremiam Triuerium.
De Hiſtoriâ ſtirpium.
Commentarij in libros Hipp. Epidemiorum.
Annotationes in Gal. librum de ſanitate tuenda.
In libros eiuſdem de differentiis febrium & locis affectis.
In libros de ſimplicibus medicamentis.
An morbifica ſit aliqua cauſa continens de Galeni ſententia
Quæſtiones de peſte.
Cemmentarij in Galeni lib. de temperamentis.
Compendium Anatomiæ ex Galeno, & Veſalio.
Liber de ſignificatione.
*Inſtitutionum medic. lib.*IIII.
Reſponſio aduerſus calumnias Chriſtiani Eghenolphi.
Cornarius furens.
Apologia aduerſus Gualtherum Ryffum
Difficilium quæſtionum libri IIII.
Nicolai antidota vertit, & annotationibus illuſtrauit.

FRAN-

FRANCISCVS VALLESIVS.

FRANCISCVS VALLESIVS Hiſpanus, & Regis Hiſpaniarum Philippi II. Archiatros, atque in Academiâ Complutenſi Medicinæ Profeſſor, libros x. edidit, in quibus difficiliores Medicinæ, & Philoſophiæ controuerſias explicat. Opus eruditi iudicij, quamuis id Iuuenis admodum ſcripſerit, vt teſtatur libro v. capite VI. nec animo vulgandi: Et offendere licet nonnulla, quibus extremum manum non adhibuiſſe videtur. ſcripſit præterea

Commentaria in libros Hipp. de morbis popularibus

In aphoriſmos Hipp. & librum de ratione victus in acutis.

Idem teſtatur in præfatione de Philoſophiâ ſacrâ, ſe multos commentarios in Hipp. & Galenum ſcripſiſſe.

GABRIEL FALLOPIVS.

GABRIEL FALLOPIVS nobiliſſimus poſt Veſalium Anatomicus Mutinæ naſcitur anno CIↃ IↃ XXIII. vir ſine controuerſiâ

trouerſiâ magnus, & maior longè futurus, ſi vitam longiorem illi Deus conceſſiſſet. Nam quis tam anguſto vitæ ſpacio tot exquiſitæ eruditionis monumenta edi potuiſſe non miretur? Annos enim triginta nouem non exceſſit, & plurima tamen ſcripſit, vt ſunt

Obſeruationes Anatomicæ.

Inſtitutiones Anatomicæ

Expoſitio in librum Galeni de oſſibus.

Obſeruationes de venis.

De cauteriis.

De tumoribus præter naturam.

De medicatis aquis, atque foßilibus.

De aſparagis.

De compoſitione medicamentorum.

De lue venereâ

Circumfertur etiam eius nomine liber de arcanis compoſitionibus

Prælectiones de partibus ſimilaribus.

Præceptorem habuit Montanum. Docuit Patauij anatomen anno CIƆ IƆ LI. Sed antea Piſis docuerat anno CIƆ IƆ XLVIII. obiit Patauij anno CIƆ IƆ LXII. VII. idus Octob. monumentum illi in æde D. Antonij maioris ad ingreſſum poſuerunt.

IO.

IO. PHILIPPVS INGRASSIAS.

IOANNES PHILIPPVS INGRASSIAS. Siculus Rachalbutenſis, ingenij ſubtilitate, & Doctrinæ firmitate nemini ſecundus, in Neapolitano gymnaſio publice medicinam docuit, tanto auditorum ſtudio, vt eius memoriam honorificâ inſcriptione teſtatam poſteritati tranſmiſerint. PHILIPPO INGRASSIÆ SICVLO, QVI VERAM MEDICINAE ARTEM ATQVE ANATOMEN PVBLICE ENARRANDO NEAPOLI RESTITVIT, DISCIPVLI MEMORIAE CAVSA P. P. M. D. Auditus non ignobile inſtrumentum, quod ſtapedem, aut à formâ δελτοειδὲς appellant, primus inuenit, & ſcripto celebrauit, præterea nouam oſſis ἠθμοειδοῦς ſtructuram deprehendit. De priore Fallopij teſtimonium audiamus. *Tertium (ſi nolumus debitâ laude quemquam defraudare) inuenit, ac promulgauit primus Ioannes Philippus ab Ingraſſiâ Siculus, Philoſophus, ac Medicus doctiſſimus, dum Neapolitano in gymnaſio publicè anatomen doceret; Atque etiam Theoricam, & practicam, (vt aiunt) medicinam profiteretur. Nam vir ille, vt patet ex ipſius ſcriptis edi-*

ptis editis, ita in omnibus artis noſtræ partibus exercitatus eſt, vt conſummatiſſimus Medicus cùm ſit, meritò etiam haberi, & dici poſſit. & paulò poſt: *Deus tamen glorioſus ſcit, Ingraſſiæ fuiſſe inuentum. Atq; cum ſtapedis, aut ſtaffæ noſtrorum patrum effigiem geſtet, meritò Stapedis nomine ab eodem fuiſſe donatum.* Patriæ amore ductus Neapolim deſeruit, ſummâ totius populi triſtitiâ, & maximè Procerum à quibus mirificè colebatur. Peſtem in Siciliâ longè lateque graſſantem extinxit, vnde Siculus Hippocrates vulgo appellabatur. Et, quod de Liuio legimus, illi etiam accidit; vt ex vltimis terrarum finibus ad eum viſendum cuiuſcumque ordinis venirent; & quos ad contemplationem ſui Regio nõ traxiſſet, vnius hominis fama perduceret. Hac viri celebritate motus Hiſpaniarum Philippus II. Ἀρχιάτρε illi inſignia, & iura contulit. In quo munere ſe adeò ſeuerum geſſit vt neminem ad officia artis medicæ admitteret, niſi qui diligenter examinatus, iis rectè fungi poſſe iudicabatur. Quin etiam quoſdam doctorali titulo inſignitos, nõ prius ad exercitia artis admiſit, quàm poſitiones medicas publicè ſuſtinuiſſet, ad quod impetrato Regis decreto eos compellebat.

Cæterùm doctorum virorum, cuiuſcumque tandem diſciplinæ, adeo ſtudioſus, vt eius domus eruditionis emporium vocaretur. Celebrantur eius ſcripta

De tumoribus præter naturam tomus I.

Quæſtio de purgatione per medicamentum, & de ſanguinis miſsione

Enarratio, & curatio Caſus illuſtriſſ. Ducis Terræ nouæ.

Iatrologia.

Synopſis commentariorum de peſte.

Commentaria in Galeni librum de oſsibus.

BERNARDINVS PATERNVS.

BERNARDINVS PATERNVS Saloenſis parentem habuit medicum clariſſimū: vir excellentis ingenij, vt qui anno ætatis XIX. idoneus ſit viſus, qui in Academiâ Patauinâ publicè Metaphyſicam doceret. Deinde in Veneto Philoſophorum, ac Medicorum collegio, ætatis ſuæ anno XXVII. maximo omnium applauſu, Philoſophiæ, ac Medicinæ Doctor eſt declaratus. Conductus fuit in tria celeberrima gymnaſia, ad medicinam Theoricam ordinariam explanandam, Ticinenſe, Piſanum, Montis regalis

lis. Dumque Ticini doceret, Veronenſes, illum ciuitate donarunt. Marinus Grimanus Cardinalis famâ viri motus ad ſe Romam euocauit, & quàm potuit honorificentiſſimè tractauit. Anno autem CIↃ IↃ LXIII. ad medicinam Theoricam ordinariã in gymnaſio Patauino explicandam Baſſiano Lando ſucceſſit. In qua profeſſione tam accuratum egit Galeni iuterpretem, vt Galeni anima nuncuparetur. Multi eum Principes expetiuêre; & inter cæteros Stephanus Battoreus ampliſſimo propoſito præmio inuitauit. exceſſitè vitâ anno CIↃ IↃ XCII.

Extat eius liber

De humorum purgatione in morborum initiis tentandâ

Epiſtola quòd vberior prandio cæna eſſe debeat.

Conſilium de Balneis Aquenſibus.

Explanationes in primam partem primi Canonis Auicennæ.

HIERONYMVS MERCVRIALIS.

HIERONYMVS MERCVRIALIS Foroliuienſis, vt in Medicâ facultate excelleret, non contentus iis, quæ tum vetu-

ſtiores, tum recentiores Medici tradiderũt. Philoſophiam quoque ſtudioſiſſimè perſecutus eſt: antiquitatem ſcientiâ, & memoriâ comprehendit: Literarum Græcarum, & Latinarum rationem percepit. Summa ei fuit amicitiæ neceſſitudo, cum Alexandro Farneſio Cardinali ampliſſimo, apud quem ipſe Romæ diu vixit, & magno in honore fuit quouſque Senatus Veneti decreto, anno CIↃ IↃ LXIX. munus ei delatum eſt, vt in Academiâ Patauinâ principem interpretandi medicinæ Practicæ locum obtineret. Anno autem CIↃ IↃ LXXXIII. Maximilianus II. Imperator ancipiti morbo implicitus ob famæ celebritatem ad ſe acceſſiuit, miſſis ad Nicolaum Pontium Venetorum Principem literis, quibus poteſtatem illi fieri veniendi ad ſe poſtulabàt. Quod iter feliciſſime fecit, & Imperatori mirum in modum ſatisfecit; à quo non modo magnis laudibus, verùm etiam multis muneribus eſt exornatus, ſcilicet trecentis ſcutatis, & torque alteros trecentos valente, duobus magni precij equis, & ſumptu itineris præſtito: Comitis, atque equitis dignitate honoratus. Comites in eo itinere habuit Herculem Saxonium Patauinum, & Antonium Tertium Viceti-

Vicetinum, donatos & ipſos aureo numiſmate & mirificè honoratos. Anno CIϽ IϽ LXXXVII. ex Patauino Gymnaſio euocatus Bononiæ docere cœpit honorário mille, & ducentorum ſcutatorum. Deinde Etruriæ Dux mercede mille & octingentorum ſcutatorum Piſanæ Academiæ authorauit. Extant celeberrimi viri opera elegantiſſima.

Variarum lectionum libri VI.

De arte Gymnaſticâ libri VI.

De morbis cutaneis, & omnibus corporis humani excrementis tractatus in V. libros digeſti.

Tractatus de decoratione.

Explicationes de peſtilentiâ.

Cenſura & diſpoſitio operum Hippocratis.

De morbis puerorum.

De venenis, & morbis Venenoſis.

Hippocratis opera omnia Græcè, & Latinè edita, & ſcholiis illuſtrata.

Galeni opera Latinè conuerſa, & emendata,

Reſponſorum, & conſultationum medicinalium tomi duo

Tractatus de compoſitione medicamentorum

De morbis oculorum & aurium.

Liber de morbis muliebribus.

Prælectiones Piſaniæ:
Prælectiones Benonienſes:
Practicæ medicinæ libri V. *Riccobonus.*

HIERONYMVS CAPIVACCEVS.

HIERONYMVS CAPIVACCEVS, Patauinus anno CIↃ IↃ LII. Medicinam Practicam Pataujj docere cœpit; anno autem CIↃ IↃ LXI. ad medicinam Theoricã extraordinariam ſecundo loco traductus eſt. anno CIↃ IↃ LXXXVII. à Magno Etruriæ duce Franciſco Mediceo eſt per literas inuitatus ad principem in gymnaſio Piſano locum medicinæ Practicæ interpretandæ, maximo propoſito præmio, ſcilicet mille, & quingentorum ſcutatorum in ſingulos annos, quingentorúmque pro impenſis itineris, atque tranſuectionis, & duorum millium mutuò dandorum, atque in ipſius poſtea honorario compenſandorum. Quibus tamen peramplis conditionibus ipſe prætulit commoditatem, atque dignitatem gymnaſij Patauini, maluitque in vrbe patriâ longè minore prœmio docere, videlicet octingentorum florenorũ, & triginta, quàm illuc ad tam amplum ſtipendium ſe conferre. Mor-

re. Mortuus eſt anno CIↃ IↃ LXXXIX, vir ſolâ quidem Medicinæ laude celebris inter literatos, propereaque pluribus curationibus adhibitus, & maximo auditorum concurſu honoratus. Ingentes etiam diuitias conſecutus eſt, adeo vt cùm magnificentiſſimas ædes exſtruxiſſet, inſanâ ſubſtructione, montes quoq; muris circumdederit. Eius edita ſunt opera;

Medicina practica, ſeu methodus cognoſcendorum & curandorum omnium corporis humani affectuum in VII. libros distributa.

Tractatus de vrinis.

Libellus de ratione componendi medicamenta.

Explicationes triginta quatuor de methodo medendi.

Liber de methodo anatomicâ.

Liber de differentiis doctrinarum.

Riccobonus lib. II. de gymnaſio Patauino.

IOANNES ARGENTERIVS.

IOANNES ARGENTERIVS natione Pedemontius patriâ Caſtellonouenſis, vir ſine dubio ſummus, omnium quoque efferri

laudibus meruiſſet, niſi manifeſtæ æmulationis reus, vbique ad cenſenda veterum ſcripta nimiam reprehendendi libidinem attuliſſet. Neque enim illi defuit in dicendo copia, in declarando facilitas, in arguendo ſubtilitas. At quandoque nihil penſi videtur habuiſſe, dummodò albis, vt aiunt equis in Galenum inueheretur. Sed de eo Doctiores iudicent. Ego verò, quod Hercules eius filius memoratu dignum cenſuit, & nos ſcire voluit, epiſtolâ ad Lectorem operi præfixâ in medium afferam. Annum vix agens xxv. Bartholomæi fratris videndi deſiderio Lugdunum profectus, eiuſmodi in vrbe ampliſſima, eruditionis ſuæ ſpecimen dedit, tantaque cum dignitate, tamque felici ſucceſſu medicinam fecit, vt incolis, atque aduenis pariter admirationi fuerit, nec niſi magni Medici nomine ab omnibus vſurparetur. Ibi inter cæteros artis, atque exercitationis collegam habuiſſe Ioannem Ioubertum, doctiſſimum, quod eius ſcripta teſtantur, virum, complures ab eo ſcriptæ epiſtolæ demonſtrant. Sed cum exacto quinquennio, Antuerpiam, celeberrimum, atq; opulentiſſimum tunc temporis Orbis terrarum emporium, ſe contuliſſet, eâ in ciuitate ſummam

mam cum Vincentio Lauro, qui poſtea in Epiſcopum Montis Regalis, ac Romanum Cardinalem euaſit, amicitiam contraxit, coluitq; quamdiu vixit, maximâ apud populos omnes, qui eò vndique confluebant, doctrinæ famâ, ac authoritate comparatâ. Ab illo tempore & amicorum continuis precibus, & ampliſſimis, quæ proponebantur, præmiis in Italiam reuocatus, laborioſiſſimum publicè docendæ medicinæ curriculum ingreſſus, non modo feruidis, quibus ad omne gloriæ faſtigium ferebatur, ingenij rotis inuidiæ remoras, atque obices omnes facilè ſuperauit; ſed longè poſt ſe ſpectatiſſimos quoſque, qui in eodem puluere non tam currere, quàm præcurrere videbantur, ſummâ, de ſuâ docēdi, atque dicendi ſubtilitate, & facundiâ Neapoli primùm, deinde Piſis, admiratione concitatâ, reliquit. Quâ famâ permotus Emanuel Philibertus, Dux Sabaudiæ ſereniſſimus, tunc primum patrio ſolo, atque ſolio reſtitutus, cùm doctiſſimos viros vndique conquireret, ad eam, quam ſibi renouandam propoſuerat, in Monte Regali Academiam, Argenterium in primis duxit quibuſcunque conditionibus aduocandum. Itaque, relicto

Etruriæ Duce,is nihil cunctatus,ac ingenitâ magis propenſione animi,quàm ſpe amplificandæ fortunæ, ad ſuum ſe Principem libentiſſimè recepit. Tandē verò, tranſlata ac conſtituta Auguſtæ Taurinorum Academia, huc cum reliquis commilitonibus demigrauit:auctaque potiùs, quàm, quod maximis plerumque viris accidere ſolet,imminuta per præſentiam fama, ita omnium ordinum,vix dum de facie cognitus,humanitate ſua,ac quotidianis officijs promeruit beneuolentiam, vt ei ſuam ipſi Ciues ciuitatem vltrò, atque gratuitò, honoris cauſa impertierint. Et ſanè hanc ſibi ſuarum peregrinationum metam cœlitus deſtinatam facilè animo proſpiciens vxorē duxit Margaretam, ex nobiliſſima Brolliæ Chorienſi familia,eius Caroli Brolliæ ſororem, qui nunc ſedet huiuſce ciuitatis Archiepiſcopus,ob ſingularem morum ſuauitatem minimeque fucatam vitæ ſanctimoniam,Principi,Proceribus, ac toti Populo iuxtà gratiſſimus, vtpote quem omnino omnes talē eſſe norint, qualem ſe quiſque ea dignitate habere velit. Ex hoc Coniugio quinque ſuſceptis liberis,me vnicum marem, atque adeo,prô dolor,impuberem, tum maximè, cùm

cùm ex noſtro, & ſtudioſorũ medicinæ omnium bono ſupereſſe debuit, reliquit. Reliquit autem Hæredem ex aſſe; ac tutore tabulis vnà cùm matre, Georgio Argenterio, ſuo ex fratre nepote adſcripto, eidem aduerſaria ſua omnia, regeſtaque in Chartaceos codices, ſcholas, denique ſchedas ſuas omnes tradi iuſſit: atque ex iis velle ſe typis mandari, eos duntaxat declarauit, quibus ſummam impoſuerat manum; nempe commentarios in Aphoriſmos Hippocratis, & in librum primum ad Glauconem; vtroſque ſane genuinos nec cuiuſquam ſane literatoris mangonio interpolatos. Reliquos porrò tractatus *de febribus, & de calore natiuo*, quãdoquidem diligenter exaratos, & ad colophonẽ perductos inuenimus, tametſi nihil de eo ſupremo cauit elogio, tantumque noſtro permiſit arbitrio, eos nos itidem tuo permittimus libentiſſimè. Commentariorũ autem in aphoriſmos, quatuor fuêre cùm obiit ſectiones, accuratiſſimè omnes, diuerſis licet manibus, exaratæ: ſed, (heu damnum!) Tertia ſectio, omnibus rimis, atque veſtigiis, poſt patruelis diſceſſum, domi ſuæ, ac quorundam familiarium, quibus aliquando totum opus dederat vtendum, & per-

perlegendum, indagata nuſquam inueniri potuit. Hactenus *Hercules Argenterius*.

GVILLIELMVS RONDELETIVS.

VITAM Rondeletij copioſè deſcriptam à Laurentio Iouberto, habemus in operum eius parte ſecunda. hinc relictis ſuperfluis, præcipua ſubijciemus. Guillielmus Rondeletius patrem habuit Ioannem Rondeletium, Ciuem Monſpelienſem, & mercatorem aromatarium, Matrem Renaldam de Moncello. Natus eſt Monſpelij anno Domini CIↃ IↃ VII. die XXVII. menſis Septembris. Ex iiſdem parentibus fratres habuit quinque; Albertum, Ioannem, Claudium, Ioannem alterum, & Gaſparem. Sorores duas, Ioannam & Margaretam. Pater eo adhuc puero è viuis diſceſſit, huius, & iuniorum curâ relictâ Alberto, maiori natu, & Hæredi; viro prudentiſſimo, & mercaturæ paternæ addicto. Pater Guillielmum religioni Canonicorum, quos Regulares vocant, Maguelonæ deſtinarat. Sed Patris vota fefellit. Nam à fratre Alberto liberaliter educatus, animum ad medicinam appulit; ita fauente ſtudiis fratre, vt ſumptus

ad gradum doctoris adipiſcendum ſponte ſuppeditaret. Lutetiam diſcendi cauſa petiit anno CIↃ IↃ XXV. ætatis ſuæ XVIII. vbi cum aliquantum in medicinâ profeciſſet, in Prouinciam ſe contulit, vt praxim exercere adgrederetur. Pertuſium vrbem inhabitauit, ibique pœdagogiam exercuit. Aliquanto poſt tempore Lutetiam reuerſus, vt Græcas literas perdiſceret. & quia pecuniis deſtituebatur, erudiendum ſuſcepit filium Vice-comitis Turonenſis. Habitauit tunc cum Ioanne Guinterio Andernaco, quocum Anatomiæ ſtudioſiùs operam dare cœpit. Inde ad Aruernos profectus maiore quæſtu medicinam factitare cœpit. Monſpelium reuerſus anno CIↃ IↃ XXXVII. doctorali laureâ inſignitur. Defuncto iam Fratre vxorem duxit Ioannam Sandram bonâ formâ puellam. Quadriennium cum ea moratus apud Sororem eius Catharinam Sandram, cùm dos malignè ſolueretur, Venetias abire conſtituit, ad Guilliel-mum Pelicerium Epiſcopum Monſpelienſem, qui tunc regiam legationẽ illic obinebat. Sed Catharina iam vidua, diſceſſum læuiri ægre ferens dimidiam partem bonorum ei donauit cum ſpe reliquorum, vt eum

eum apud ſe ſororemque retineret. Atque in hunc modum locupletatus in Patria mãſit, & doctrinam publicè teſtatam facere conatus eſt. Itaque crebro ad ſcholas ventitando, ſectioneſque adminiſtrando ſibi tantum nominis acquiſiuit, vt Petro Laurentio in profeſſionem regiam ſucceſſerit anno CIƆ IƆ XLV. Cum Franciſco Turnonio Cardinali Antuerpiam profectus occaſionem cepit inueſtigandi naturas piſcium; cuius rei gratia Burdigalam, quoque & Baionam acceſſit. Anno CIƆ IƆ XLIX. cum eodem Cardinale Romam profectus eſt, dũ creãdus eſſet Papa, qui fuit Iulius huius nominis III. In ea peregrinatione viris celeberrimis innotuit, Ioanni Argenterio, Lucæ Chino, Cæſari, Odo, Antonio Muſæ Braſſauolo, Ioanni Baptiſtæ Montano. Cardinalis iam ſæpiùs, etiam in ancipiti morbo Rondeletij felicem operam expertus, ei, quãdiu viueret, & domi manenti ſtipendiũ conſtituit CC. librarum. Monspelij, hortatu potiſſimùm Rondeletij, Theatrum Anatomicum Rex ædificari curauit; in cuius frontiſpicio hæc exſculpta viſuntur: CVRANTIBVS IOANNE SCHYRONIO, ANTONIO SAPORTA, GVILIELMO RONDELETIO, I. BOC-

I. BOCATIO, ANNO CIↃIↃ LVI. vnà cum eorum inſignibus affabrè factis. Eodem anno CIↃIↃ LVI. cum deceſſiſſet Ioannes Schyronius ſcholæ Monſpelienſis Cancellarius, in eius locum ſuffectus eſt Rondeletius. Quod munus obiuit vſque ad annum CIↃIↃ LXVI. Eius etiam anni, mẽſis Iulij die penultima, apud Regalem montem Heluiorum (Albigeos vocant hodie) cùm Tholoſâ rediret, diem ſuum obiit anno ætatis LIX. Scripta eius celebrantur à Iouberto,

Medicina Practica.

De impedimentis generationis.

De affectibus grauidæ, Parturientis, & Puerperæ.

De affectibus infantium, & puerorum.

De morbis Hæreditariis.

Commentarij in aliquot Hippocratis aphoriſmos.

Commentarius in Ariſtotelis librum de miſtione, & miſcibilibus.

Comment. in aliquot capita lib. I. Dioſcoridis

In Galeni artem paruam.

In librum de conſtitutione Medicinæ.

In introductorium Medicinæ.

In librum de temperamentis.

De

De locis affectis.
Quos, quando, quibus purgare conueniat.
De paratu facilibus.
Anatome.
Chirurgia.
Dialectica.
Agricultura.
Commentarij in aliquot Dauidis Pſalmos.
Apologia ad Gorrhaeum.
Apologia ad Cardanum.

HONORATVS CASTELLANVS.

HONORATVS CASTELLANVS magni hominis medicus, & ſenatoris honore inſignis, ex Monſpelienſi Academiâ ad regendam valetudinem Regis accitus, authoritatem, quâ plurimùm valebat, ad promouenda medicinæ ſtudia contulit. Nam quodcumque ex famâ clarorum virorum decus Academia Monſpelienſis habet, illi debet imprimis, qui amplitudine præmiorũ ingenia excitauit. Quippe cum modica primùm eſſent ſtipendia Profeſſorum, anno CIƆ IƆ LXIIII. Regis magnificâ liberalitate, Caſtellani verò gratiâ ad CCCC. lib. auxerunt. Idque adeo omnium animos

mos erexit, vt copiâ doctiſſimorum hominum ſchola ſemper abundarit.

Lavrentivs Iovbertvs.

Lavrentivs Iovbertvs Valentinus, Delphinas. naſcitur anno CIƆ IƆ XXXIX. Medendi ſcientiam Monſpelij hauſit, vſus Præceptore Rondeletio, apud quem habitauit, quo familiarius inſtitueretur. Et tantam ſpem Præceptori de ſe breui dedit, vt hunc ſibi generum adſciſcere ſumma ope niteretur. Nec diſſimulatâ voluntate, cum ex eius familiâ diſceſſiſſet, & apud Viuarienſes Albenatij medicinam faceret anno CIƆ IƆ LVII. per epiſtolam, Bacchanaliorum tempore, velut ad certas nuptias inuitauit. Et pactum quidem initum; ſed ab eo diſceſſit Ioubertus. Poſtea ex Viuarienſi regione Monſpelium reuerſus, ſtudij recoquendi gratiâ idem domicilium elegit. Hîc ei Rondeletius alteram filiam ſpopondit, erga quam magis affici videbatur. Sed quia in amore illi puella reſpondere non videbatur, quamuis magna conſtitueret Pater, ei morem in eo gerere non potuit. Ob id ad Forenſes Gallos ſe recepit, eo animo vt non

prius rediret, quàm illa nupſiſſet, quò Rondeletio ſpes omnis præſcinderetur. Intereà in Honorati Caſtellani amicitiam ſe arctius inſinuauit, qui induſtriam eius, atque eruditionem ita probauit, vt dignum cenſuerit, cui ſuas abſentis partes in docendâ medicinâ traderet, quamuis per Academiæ leges, muneris commiſſi fructus, vbicumq; terrarum eſſet, liberè percipere poſſet, quãdo valetudini Regis vacaret. Hanc oſtentandæ doctrinæ nactus occaſionem, maximam apud omnes de ſe opinionem excitauit, & per omnes honorum gradus, ad ſupremam Academici ordinis dignitatem adſcendit. Varia ſcripſit; & omnia extant duobus in folio voluminibus excuſa apud Stephanum Michaëlem. Tulit eadem Academia, atque ipſa etiam Gallia plures excellenti doctrina viros, Iacobum Hollerium Stempanum, Iacobum Syluium, & Ioannem Tagaultium Ambianos, Ioannẽ Schyronium, Antonium Saportam, Franciſcum Valleriolam, Duretum, Riolanũ, Andream Laurentium; quos tamen hîc præterire debui, quia peculiare nihil adferre potui.

LEVI-

Levinvs Lemnivs.

VERE aiebat ille olim, *Maiores noſtros eadem de iiſdem dicere ſolitos.* De viris huius æui illuſtribus multi iã ſcripſerunt, quorum me verbis vti non piget, quando de iiſdem eadem ſunt dicenda, nec plura ſuppetunt. Itaque quæ hic legis, Myræo debes. Leuinus Lemnius natione Zelandus Patriâ Ziriζæus primùm Theologiæ operam dedit: ab hac ad medicinam tranſijt; cui faciendæ naturâ, & ingenio fuit aptiſſimus, quum vel adſpectu, & eloquentiâ ægros recrearet. Præceptorem habuit Vezalium; Remberto Dodonæo familiariter vſus eſt. Filium legitimo Thoro Guilliel-mum ſuſtulit, paterni & æris, & artis hæredem, qui Suetiæ Regi à conſiliis valetudinis fuit. Quò Rege, à perfidò quodam regnũ affectante in vincula coniecto, Guillielmus fidus Domino medicus, vnà fortunis vitaque exuitur. Parens in ſtudiis acquieuit ſcripſitque eleganti ſtylo varia omnium artium candidatis apprimè vtilia in libros tres diſtincta; *quorum primus de Aſtrologia tractat;* in quo obiter indicat, quid illa veri,

quid ficti falſiuè contineat, & quatenus arti ſit habenda fides;in quo denique multæ amœniſſimæ cauſæ explicantur,*tum Prouerbij origo, Quarta lunâ nati.Secundus de præfixo cuique vitæ termino. Tertius de honeſto animi & corporis oblectamento. Item de occultis naturæ miraculis, & variis rerum documentis libri IIII. Similitudinum,quæ ex fructibus herbiſque, in ſacris biblijs deſumuntur, explanatio.* Quem commentarium ſacrarum literarum ſtudioſis vſui poſſe eſſe docuit Franciſci Valleſij iudicium,qui diuinæ eum ſuæ Philoſophiæ adiunxit. Elatâ vxore, ſacris ipſe initiatus, Canonicorum in patria Collegio adſcriptus, ibidemque ſenex piè defunctus eſt.

ADRIANVS IVNIVS.

ADRIANVS IVNIVS Hornæ natus eſt anno CIↃ IↃ XII.ipſis Calend.Iulij. Vir tum in medendi ſcientiâ,tùm variarum rerum imprimis, & linguarum cognitione admirandus.Nam præter Græcam,Latinam & Hebraicam,etiam omnes propemodum quarum per Europam vſus eſt, exactè pernouit,vt abunde *Nomenclator* eius teſtatur. Multa

Multa Scripſit ad Philologum ſpectantia;& in his *adagiorum aliquot centurias* omnifariâ eruditione refertas. Plura etiam è Græcis Latina fecit; inter quæ ad medicinam ſpectant, *Caßij Iatroſophiſtæ quæſtiones medicæ.* Obiit Middelburgi CIↃ IↃ LXXV. Iunij XVI. ætatis ſuæ anno LXIII.

MARCVS NEVIANVS.

MARCVM NEVIANVM Gerardimons alterum Imperialis Flandriæ caput edidit, virum eruditionis famâ nobiliſſimũ. Nam qui res Flandricas hac ætate ſcriptis illuſtrarunt, vt Guicciardinus, & Marchantius, hunc à ſingulari doctrinâ celebrem, velut in exemplum producunt. Nec verò ciuibus ſuis medendo ſolùm profuit; ſed etiam rempub. prudentiâ iuuit, geſto ſæpius conſulatu. Tandem ſacerdotium nactus, & ſacerdos Gandauum conceſſit, ibique reliquum vitæ in nobilis otij ſtudiis tranſegit. Scripſit Carmine, *de viribus plantarum*, & *de morbis curandis*.

Rembertvs Dodonaevs.

Rembertvs Dodonaevs Mechliniæ natus III. Calendas Iun. anno CIↃ.IↃ XVIII. Patrem habuit Dionyſium. Editis in lucem plantârum hiſtoriis magnum ſibi nomen comparauit. Atque adeo Maximiliannus II. Imperator, defunctо Bieſio, cuius erat vſus conſilio, eum valetudini ſuæ præfecit. ſed, neſcio quam ob cauſam relictâ Cæſaris aulâ Lugduni Batauorum medicinam profiteri maluit; ibidemque viuere deſiit anno CIↃ IↃ LXXXV. Præter opus Botanicum in libros XXX. diſtinctum, edidit

Medicinalium obſeruationum exempla VIII.
Epiſtolam de Alce animali.

Nicolavs Biesivs.

Nicolavs Biesivs Gandaui naſcitur anno CIↃ IↃ XVI. VI. Calend. Apriles. Poſt peracta in patriâ literarum Tirocinia libatoque medicinæ ſtudio in Hiſpaniam profectus Valentiæ Editanorum hæſit inuitatus gratâ cœli amœnitate; ibidemque

demque ducibus Calabriæ gratus vixit. Ad quos & habitam, *pro ſtudiis literarum orationem* euulgauit, & *de arte dicendi libros II.* Ibidem quoque vſus eſt familiaritate Ioannis Baptiſtæ Agneſij, Theologi, ac Poetæ, quocum mutuis verſibus ſæpe luſit. Philoſophicis maximè deditus *de vniuerſitate* cùm proſâ, tum carmine, *Libros II. De Natura libros V. De Repub. libros IV.* foras emiſit. Denique ad ſuos poſtliminio, tanquam Vlyſſes alter, reuerſus, in Iconoclaſtarum tempeſtatem incidens, Patriam tumultibus agitatam ripperit. Cui, pro virili, iuuandæ *de opinionum varietate libello* edito, à ſectarum varietate populares ſuos reuocare, atq; in maiorum religione retinere tentauit. Louanij publicam Doctoris Perſonam ſuſtinens & rem medicam tractans, *in Galeni artem commentarios* conſcripſit; Medicinæ item methodum, ac Theoricen publicauit. In grauiſſimis illis, periculoſiſſimiſq; turbis ad Albanum Oratoris Academici munus bonâ fide obiuit. Pòſt à Maximiliano II. Imperatore, tuendæ valetudinis ergò accitus, ei liberiſque eius gratus, & acceptus fatis ibidem conceſſit, CIↃ IↃ LXXIII. Eadem circiter ætate inter Belgas floruerunt

Iaſon Pratenſis medicus, illuſtri familiâ ortus, qui parentes *Beuere* Toparchas habuit.

Reinerus Snoyus, qui Louanij decurſo Medicinæ ſtudio, & poſtea Bononiæ inſtitutis quæſtionibus & declamationibus celebris, honorarium ab Academiâ meruit. Reducem verò in Belgium, Carolus V. Imperator ad Reges Scotiæ, & Daniæ legatum miſit: Goudana Reſpublica conſulari dignitate ornauit.

Balduinus Ronſæus, & ipſe Gandenſis Triuerij diſcipulus; cuius extat libellus de magnis Hipp. lienibus. Pliniiq́; ſtomomace, ac Scelotyrbe, & commentarij in Celſum.

Nicaſius Ellebodius, Caſletanus Granuellano familiaris, Poſſonij Canonicus, cui verſionem Nemeſij debemus.

Arnoldus Lenſæus Belliolanus frater Ioannis Lenſæi, Doctoris Theologi, ac Profeſſoris Louanenſis. Ille ad Ducem Moſchouiæ profectus, vt valetudinem regeret, & in Mathematicis diſciplinis erudiret, communem regni calamitatem incurrit, cum Metropolis incendio funditus à Tartaris deleretur.

Hermanus Cruſerius, qui præclaros in Hippocratem commentarios edidit, eoque nomine

mine Guillielmo Cliuorum Regulo gratus, & à Conſiliis, dum filiam eius Boruſſiæ Principi deſponſam comitatus ad ſtationem reuertitur, in itinere obiit CIↃ IↃ LXXIII.

IO. GOROPIVS BECANVS.

HILVARIBECAE nobili Campaniæ Brabantinæ municipio natus Goropius vnde & Becani nomen illi perpetuò adhæſit,) ab incunabulis pœnè in literis eruditus, deinde inter Philoſophos enutritus, exactam Hebraicæ, Græcæ, Latinæ, aliarumque linguarum ſcientiam conſecutus eſt. Aetate grandior, ad exquiſitiorem ingenij cultum, Italiam, Hiſpaniam, Galliam, aliaſque prouincias peragrauit. Duarũ Leonoræ Galliæ, & Mariæ Pannoniæ Reginarum, Caroli V. Cæſaris ſororum, in Hiſpaniâ diu medicus fuit; ob id, quoad viueret, inſigni annuo vectigali donatus. Pòſt in patriam redux, multos annos Antuerpiæ medicinam fecit, vir certè præcellentis, ac diuini propemodum ingenij; Qui nouo docendi genere demonſtrare conatus eſt, vetuſtiſſimam illam Philoſophiam, quam

 olim

olim Linus, Orpheus, Thamyras, aliiq́ue tradidêre, ab ipſo Noacho, eiuſque filiis, Iapeto præſertim, profectam eſſe, ac gentibus ad quas, Deo duce delati fuerint, traditam, eamq́ue cum ſacra Moyſis hiſtoriâ optime conuenire. In quâ inueſtigatione, dum ſcriptorum omne genus euoluit; Poetas maximè, qui pœnè ſoli, ſi Platonem cum paucis excipias, vltimæ antiquitatis reliquias nobis conſeruarũt nobis ſemper (vt dies diem docet) ſuppeditantibus argumentis, quod de Philoſophiâ dixi, ad Theologiam, ſiue de Deo opinionem tranſtulit, oſtenditque priſcam illam poeſim, ſeu muſicam, quæ Iota diuina à veteribus credebatur, à Catholicâ religione, ſi fabularum inuolucra demas, verbis, ac figuris quidem, ſed re ipsâ parum, aut nihil diſcrepare. Diuino planè vir ingenio, qualem vix ſingulæ ætates ferant, ſeu Philoſophiam, ſeu Philologiam (in vtraq́ue enim ad miraculum excelluit) tractaret, vt ſeculi ſui Varro nominari meritò potuerit. Paradoxum enim illud patriam linguam, hodieque cum Germanis, ſi pronuntiationem, & dialectum excipias, Belgis communem (Cimbricã ipſe vocat) omnium eſſe antiquiſſimam, ideoque ante diluuium

primorum parentum fuiſſe, tam ingenioſè, redditis paſſim etymis, perſuadere conatur vt velit, nolit, in eius ſententiam pedibus ire Lector pœne cogatur. Vtinã, quod Critici quidam deſiderant, grauius tantoque ingenio dignius argumentum tractandum ſuſcepiſſet; vt de Platonis, & Ariſtotelis conſenſione, vt de Repub. vt de omni hiſtoria, vt de Hippocratis, & Galeni præſtantiâ, vt denique de medicæ artis, ac Philoſophiæ comparatione: omne ſane punctum tuliſſet, vtili dulce admiſcens, nec æqualium cuiquam conceſſiſſet. Nam minuta illa, fateor, de linguæ Belgicæ veriloquiis (vt etyma Varro nominat) exteros pleroſque, gemmas ibi latere ignorantes, à legendo deterrent. Sed vitio neſcio quo plurima peccantur à doctis in eam partem, dum aut humile nimis argumentum deligunt, (vt qui Quarta, nam febrim Phauorinus, & è Belgis Guillielmus Inſulanus, laudarunt, quæ Caluitium Syneſius) aut maius, quam humeri ferre poſſint (quorum maxima copia eſt) ſuſcipiunt, præcepti illius Horatiani immemores:

Sumite materiem veſtris qui ſcribitis aptam
viribus.

Equi-

Equidẽ non ignoro fuiſſe,qui acerbiùs eũ de Ambacto,Gigantibus,Paradiſo, Noachi arcâ,& Nilo fluuio perſtrinxerint. Sed amici ſui Patrocinium Leuinus Torrentius præfando ſuſcepit. Atque, vt non omnes hac in re habeat adſtipulatores, his tamen lucubrationibus ſuis altiſſimarum diſciplinarum arcana plurima è tenebris in lucem edidit, atque ad eadẽ accuratius cognoſcẽda doctorum ingenia mirificè exacuit. Cæterùm ætate grandior,cæteris ſe functionibus abdicans, in Bibliothecam ſe abdidit: quamquam à Philippo II. Hiſp. Rege, ad valetudinis ſuæ curam, ingenti pollicitatione,ac regali torquis aurei munere accerſeretur. Summâ in gratiâ Groesbechij Cardinalis, & Eburonum Principis fuit, multiſque ab eo donis honeſtatus. Leodico Traiectum Moſæ à Medinæ Cœli duce euocatus,cùm podagrâ tentatus, Moſæ flumini pedes,artis ſuæ oblitus intuliſſet, lethalem in morbum incidit, fatoq; functus eſt IV. Calend. Iulij CIↃ IↃ LXXII. ætatis LIII. Moriens domum, vxorem (quam & perhoneſtam,& prædiuitem duxerat,)liberos, & ingenij ſui partus nõdum editos(euulgarat autem viuens Origines Antuerpianus) Tor-

Torrentio commendauit; Qui poſtea Plantino Architypographo Regio eius *Hieroglyphica* cum adiunctis publicanda dedit. *Miræus*.

GEMMA FRISIVS. ET CORNELIVS GEMMA F.

QVIDNI GEMMAM cæteris illuſtribus annumerem, qui vt gemma quædam rarior, inter æui ſui mathematicos illuxit? quo nomine Carolo V. Cæſari harum artium nõ ignaro, in primis gratus, ſæpe Bruxellam eſt euocatus, & viciſſim ab Aulicis Louanij ſalutatus. Solitus quidem domi Mathematicas diſciplinas quaſi radio demonſtrare, publicè verò in gymnaſio Medicinã profiteri. Staturâ erat mediocri, membriſque gracilibus & facie pallida quo factum eſt, vt dum *Hieremia Triuerio* collega familiariter vteretur, eſſetque hic procerior multò, faciéque rubicundâ, & corpore obeſo; cum eo conſpectus in publico ſæpiùs, non potuit Salſi cuiuſdam vrbanitatem effugere, qui Gemmam & Hieremiam Louanienſiũ medicorũ, facetè par impar appellitabat,

tabat, viſitur hodieq; effigies tumulo appẽſa Louanij in æde ſodalium Dominicanorũ. Obijt calculi malo CIϽ IϽ LV. Maij XXV. ætatis XLVII. *Cornelius Gemma* Poeta, Rhetor, Philoſopus, & Medicus egregius acceptam à Patre famam, præclaris ingenij ſui monumentis ſic auxit, vt vter alteri plus debeat, meritò ambigas. In libris certè, quos *de arte Cyclognomicâ*, deque naturæ diuinis characteriſmis edidit, dum altiſſima Philoſophiæ myſteria recludit, ſe ipſum quodammodo ſuperauit. Neque Theoricâ ſolum valuit, ſed in praxi quoque felix, arte ſuâ vitam multis produxit, ſibi tamen eam ſeruare non potuit, cùm anno CIϽ IϽ LXXVIII. apud Grudios epidemica lues graſſaretur. Reliquit Cornelius filios duos, Alterum *Raphaelem* Canonicum, & Scholaſticum Eccleſiæ D. Petri, Louanij; Alterum *Philippum* doctorem quoque medicum; raro certè exemplo filios, Patrem, Auum, & eruditos, & iiſdem deditos ſtudiis, vt in Italiâ noſtro æuo Manutios, floruiſſe. *Miræus.*

Io.

IO. GVINTERIVS ANDERNACVS.

NOTA ſatis huius viri doctrina, cui ſi verbis addere laudes velim, nihilo ſecius inſaniam, quam ſi meridianum Solem illuſtrare coner. de vitâ eius nihil aliud in medium afferre poſſum, præter id, quod Lambertus Hortenſius, vir eruditione ſingulari præditus, in ſuâ ad Plutum Ariſtophanis præfatione, memoriæ proditum reliquit. Clarebant, inquit, ea tempeſtate, in illâ ipsâ Academiâ (Louanienſem intelligit) linguarum Profeſſores, Græcæ Rutgerus Reſcius, Latinæ Conradus Coclenius, Hebraicæ Ioannes Campenſis, viri cùm diligentes in tradendo, tum in ſuâ quiſque palæſtrâ primi nominis, quorum famâ, & celebritate vndique ſtudioſi exciti Lycæum illud literatiſſimorum hominum frequentiâ ita replebant, vt breui inde, tanquā ex equo Troiano fœto innumerabiles milites armis Palladis inſtructi, & egregiè exercitati prodierint. Audiebam etiam eximium Peripateticum Ludouicum Viuem, & inſignem Rhetorem Ioannem Paludanum, iam tùm ſenem admodum: quem quoties audiebam decla-

declamantem & libros Rhetoricorum Ciceronis ad Herennium explicantem; videbar mihi videre, & audire Neſtorem illum Homericum.

Τὸν ἡδυεπῆ,
Τοῦ καὶ ἀπὸ στόματος μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή.

Erat mihi tum in eo ſtudiorum meorum curriculo contubernalis, cum quo omnes rationes illorum ſedulò communicabam, in re literariâ mecum ab vnguiculis Vltraiecti æducatus, *Ioannes Guinterius Andernacus* tenuis ſortis tum quidem, ſed ingenij præſtantis, & ad apicem eruditionis natus, id quod breui tempore pòſt non obſcurè declarauit. Huius rei teſtem locupletem habeo Stephannm Montanum, virum grauem iuxtà, & eruditum. Nam breui pòſt ille Louanio digreſſus, cùm Lutetiam veniſſet, ſtatim ſpecimen ingenij ſui, quod ad id temporis vſque in vmbrâ delituerat, cum magnâ laude, & gloriâ edere cœpit. Etenim Græcæ linguæ profeſſionem auſpicatus, ſtipendium idque ſplendidùm, & magnificum paucis diebus meruit. Inde vbi aliquamdiu rei medicæ non ſegnem operam nauaſſet, ad laurum eius profeſſionis peruenit. Teſtantur

tur

tur id eius verſiones. Et hodie in Republicâ Argentoratenſi inter Senatores ſummum locum tenet. hactenus Hortenſius. Obijt Argentorati CIↃ IↃ LXXIIII. Octobris IIII. Ex Græcis plurima Latina fecit, tam Hippocratis, quàm Galeni ſcripta. *Paulum Æginetam* vertit; & commentariis illuſtrauit.

Scripſit commentarios *in librum Hippocratis de naturâ humanâ*

Anatomicarum inſtitutionum ſecundùm Galeni ſententiam ad candidatos Medicinæ, libros IV.

De victus, & medendi ratione, cùm alio, tum peſtilentiæ maximè tempore obſeruandâ.

De medicinâ veteri, & nouâ tum cognoſcendâ tum faciendâ commontarios II.

De Balneis, & aquis, Dialogos. III. De peſte,

De compoſitione medicamentorum.

Commentaria Oribaſij (vt credidit) *in aphoriſmos Hippocratis primus edidit.*

PAVLVS CRASSVS.

PAVLVS CRASSVS Patauinus anno CIↃ IↃ LIX cœpit cum Baſſiano Lando Placentino ad ſtudioſorum vtilitatem con-

currere in declarandâ medicinâ Theoricâ ordinariâ: & poſt mortem Baſſiani fuit collega Bernardini Paterni in ſecundâ cathedrâ; vir non ſolùm medicæ ſcientiæ, ſed etiam eloquentiæ laude clariſſimus, optimiſque literis tum græcis, tum latinis ornatiſſimus. Edidit anatomen, ſeu de humani corporis fabricâ Theophili Protoſpatharij, quam de Græco in Latinum ſermonem conuertit: & præclarum opus Aretæi, Græci medici præcellentiſſimi, & Rufi Epheſij opuſcula; & Galeni libros complures à ſe conuerſos. Scripſit etiam de Balneis agri Patauini, & annotationes in Theophraſti libros de plantis. ex hac vitâ exceſſit anno CIↃ IↃ LXXIII. *Riccobonus.*

HIERONYMVS FABRICIVS.

HIERONYMVS FABRICIVS ab Aquapendente, electus eſt Chirurgiæ profeſſor in locum Gabrielis Fallopij Mutinenſis anno CIↃ IↃ LXV. tribus ſcilicet annis poſt eius mortem, de quo illud vulgatum:

Martia Fabricio iactat ſe nomine Roma,
Pendula Fabricios tu quoq; gignis aqua.

Dona-

Donatuſque fuit iure Patauinæ ciuitatis. Anno autem CIↃ IↃ LXXXIIII. præter munus, quod adhuc ipſe obiuerat, Chirurgiæ interpretandæ, alterum munus à ſenatu conſecutus eſt, Anatomes quotannis pertractandæ, in hunc ſcilicet modum, vt per omnes hyemis menſes ipſam Anatomen declararet, membra humani corporis incideret, diſſectionem oſtenderet, reſque omnes explicaret ad negotium Anatomicum pertinentes. Poſt menſes verò hyemis Chirurgiam doceret; quas explicationes Senatus voluit, & iuſſit eſſe ordinarias Medicinæ, omnibuſque iis dignitatibus, & vtilitatibus ornauit, quæcumque primis locis ordinariis Medicinæ Theoricæ, & Practicæ in Gymnaſio conceduntur; vt ob id neceſſe fuerit eum in Collegium medicorum recipere, & anno etiam CIↃ IↃ XCVII. in rotatâ paginâ Profeſſorum Gymnaſij, ante Philoſophos ordinarios peruulgatus fuerit. An adhuc ſuperſtes ſit, ignoro: ſed vltra quinquaginta annos in docendi munere perſeuerauit. Eius extant *quinq; libri diſputationum de Chirurgiâ.* Abſoluit etiam opus,

De viſione & oculis,

De voce,& inſtrumento eius Larynge:
De auditu,& meatu auditus.

Præterea verò magnum opus Anatomicum, ſcilicet,totius animalis fabricæ Theatrum: Anatomicam methodum: De partibus ſimilaribus & diſſimilaribus: vtrum actiones ſint partium ſimilarium,an arganorum. Riccobonus.

MELCHIOR GVILANDINVS.

MELCHIOR GVILANDINVS, Boruſſus, anno CIↃ IↃLXI. Patauij electus eſt horti Medicinalis cuſtos, ad oſtendendas ſibi herbas, earumque nomina, & vires aperiendas. Vir fuit ſine dubio literatiſſimus,qui inſtar Gorgiæ de qualibet re propoſitâ,copioſe,atque diſertè poterat diſputare. Exceſſit anno CIↃ IↃ LXXXIX. maximâ bonorum parte Reipub. Venetæ teſtamento relictâ. Seruantur etiamnum eius libri multi ſane,& exquiſiti in Bibliotheca D. Marci,capſis ad id confectis; ſiquidem cum libris, mille ſcutatos Reipub. reliquerat. Eius extat *Papyrus*, hoc eſt, Commentarius in III. C. Plinij maioris de Papyro capita,cum repugnantiâ Mercurialis; edidit etiam *Epiſtolas IIII. de ſtirpibus.* Scripſit

pſit quædam de erroribus Matthioli ad Dioſcoridem.

AMATVS LVSITANVS.

AMATVS LVSITANVS primùm Ferrariæ Medicinam profeſſus eſt. Hinc à Rhacuſino Senatu per Sebaſtianum Menſeum illius Reipub. Legatum magnis conditionibus euocatus. Rex Poloniæ ingenti præmio inuitauit, ſed ire recuſauit. Scripſit *Curationes Medicin.* variâ rerum cognitione refertas, in quibus exemplo Hippocratis morborum hiſtorias à ſe obſeruatas recenſet. Verùm Crato *plura confiƈta, quàm faƈta illum ſcripſiſſe, & interdum opiniones ſuas iſto modo confirmare voluiſſe* annotauit. Edidit præterea *commentaria in Dioſcoridem.*

HORATIVS AVGENIVS.

HORATIVS AVGENIVS à monte Sanƈto Patrem habuit Ludouicum Augenium, qui annos ſeptuaginta in præcipuis Flaminiæ, Piceni, Etruriæ ciuitatibus, cum maximâ famæ celebritate medicinam

exercuit, & nomen reddidit immortale. Chariſſimus idem fuit Clementi VII. Pontifici maximo, cui honeſtiſſime operam nauauit. Medicus intimus, ac familiariſſimus Alberti Pij, & Leonelli fratrum comitum Carpenſium, ſummeque dilectus à Rudolpho Pio Cardinali, Leonelli filio: tantoque in honore habitus apud Ducem Guiſium, & fratres, aliosque Principes Gallos, cùm in Italiam exercitum duxerunt ſummo Pontifici Paulo Caraffæ gratificati, vt præter magnam vim nummorum honoris cauſâ ei datorum, etiam eius Patriam, Montem Sanctum, ab omnibus oneribus, quæcumque alia loca ob ipſius exercitus tranſitum ſuſtinebant, immunem fecerint. Is quatuor reliquit filios, omnes inſigniter honoratos, duos iuriſconſultos clariſſimos, Simonem, & Fabricium. Quorum prior bis fuit auditor Rotæ Peruſinæ: Alter ius Pontificium in gymnaſio Romano, & Maceratenſi, cum magnâ ſuâ laude interpretatus eſt; Vicariatuſque vſque officia ſplendidè obiuit. Lælium equitem D. Mariæ Lauretanæ, & ipſum hunc Horatium; Philoſophum Medicum, & Theologum præcellentiſſimum, in quo ſpem ſuam omnem collocauerat;

uerat; Quique cùm in Gymnaſio Maceratenſi Logicam duobus annis, & in Romano medicinam Theoricam extraordinariam quinque annis, & in Taurinenſi medicinam Practicam ordinariam in primâ cathedrâ ſexdecim annis, videlicet ſex cum Collegâ Ioanne Coſteo ex laude Pompeiâ, & decem ſine Collegâ interpretatus fuiſſet, tandem in gymnaſium Patauinum, ad medicinam Theoricam ordinariam explanandam, propoſito quingentorum florenorum præmio accitus, ac perductus eſt. Eius extant

De ſanguinis miſſione libri X.
Diſputationum eiuſdem argumenti libri VII.
Epiſtolarum medicinalium libri XXIV.
De partu hominis, liber.

Alexander Maſſaria.

Alexander Maſſaria Vicetinus inſignem Græcarum literarum, Latinarumque cognitionem, ad Medicinæ ſtudium contulit, eoque cæteris ſui æui Medicis præſtitit. In patria annos xxv. artem feliciter exercuit. Mox in Olympicorum Academiâ Anatomen docuit. Inde autem

anno CIƆ IƆ LXXVIII. plurimorum procerum, amicorumque precibus permotus Venetias ſe contulit. Ibidem ſpacio nouem annorum tantùm famæ conſecutus eſt, vt ab excellentiſſimis Medicis cœlebraretur, à Montano etiam Patriæ lumen, atque ornamentum appellaretur. Et Senatus Venetus mercuriali vitâ functo aptiſſimum cenſuit, quem in principem profitendi locum illi ſucceſſorem daret, in quo munere ita ſe geſſit, vt omnium exſpectationem ſuperarit. Opes, quibus abundauit, ſplendoris, & liberalitatis habuit inſtrumenta, vt eum cum Cimone Athenienſe non immeritò Riccobonus compararit. Scripſit

De peſte libros IIII.

Diſputationes Duas, quarum altera eſt de ſcopis mittendi ſanguinē, cùm generaliter, tum ſpecialiter in febribus; altera de purgatione in principio morborum.

Medicinæ practicæ libros II.

HERCVLES SAXONIA.

HERCVLES SAXONIA Patriam habuit Victorem, Medicinæ Theoricæ in Academiâ Patauina profeſſorem. Auum Hierony-

ronymum,& ipſum medicum, & ob artis præſtantiam magno præmio à Raguſana Repub. conductus. Patrem Ludouicum, Philoſophum eximium, & Paternæ gloriæ hæredem. Hercules autem artium & medicinæ Doctor renuntiatus Logicam profiteri cœpit. Deinde librum III. Auicennæ explicuit. Sed hac profeſſione ſenatus Veneti decreto ſublatâ, Venetias ſe recepit; ibique medicinam factitando ad ſummam famæ gloriam graſſatus eſt. Per hæc abſumptis octo annis ſucceſſor Hieronymo Capiuaccio deſignatur anno CIϽ IϽ XC. quod munus obiuit diutiſſime, & *Comitis Palatini* titulum meruit.

IO. THOMAS MINADOVS.

IOANNES THOMAS MINADOVS Rhodoginus, ex ea familia ortus, quæ originem trahens à Syracuſis, inde Neapolim, & Mãfredoniam tranſlata eſt; atque in earum ciuitatum vtraque plurimùm claruit: Patre natus eſt Ioanne Baptiſta, Philoſopho, & Medico præſtantiſſimo. Auum habuit Annibalem Iuris vtriuſque Doctorem: & vltrà qui genus repetunt, egregiam clariſſimo-

rum virorum in eadem familia ſeriem deprehendunt. Ipſe vero Io. Thomas duobus Syriæ Cōſulibus Venetis Theodoro Balbo & Ioanni Michali medicam operam nauauit. Deinde aliquot annos apud Guilliēlmū Ducem Mantuæ Medici officio functus eſt: Vtini, Montaniani, Rhodigij publicis, & quidem inſolitis medēdi præmijs eſt honoratus. Denique anno CIↃ.IↃ XCVI. ad profitendam primo loco Medicinam Patauij conſtitutus eſt. Scripſit

De humani corporis turpitudinibus cognoſcendis & curandis libros III.

De morbo Cirrorum in Polonos graſſante, quam vocant Plicam.

Philodicam, ſiue de diætâ in morbis acutis.

Diſputationes medicinales

Hiſtoriam de Bello Perſico Italicè conſcriptam.

Apologiam Latinam pro ſuâ hiſtoriâ aduerſus obiectiones Leonclauij.

VLYSSES ALDROVANDVS.

VLYSSES ALDROVANDVS, illuſtri Comitum Aldrouandorū familiâ oriundus, in gymnaſio Bononienſi naturalis hiſtoriæ

ſtoriæ profeſſionem tam feliciter impleuit, vt omnium ante ſe genitorum diligentiſſimus, etiam poſt futuris huius palmæ gloriam præripuiſſe videatur. Quippe adgreſſus eam Medicinæ partem, quæ materiem remediorum ex animalibus deſumit, vt eorum figuram, atque naturam ad poſteros fideliori ſtylo tranſmitteret, haudquaquam Authorum euoluiſſe monumenta contentus, inſpiciendi cauſa, regiones etiam remotiſſimas animo prorſus Vlyſſæo peragrauit: In hoc tamen ab Homerico illo diuerſus, quod hanc peregrinationem non coactus, ſed ſponte, non ἐν ῥάκεσι, καὶ κακὰ χροῒ εἵματ᾽ ἔχων, ſed plenâ rerum omnium copiâ inſtructus ſuſceperit. Tantos enim ſumptus fecit, vt non cum Iro, ſed potius cum Alcinoo, componi debeat; niſi quod opes non ad luxum, ſed ad vtiliſſima toti mortalium generi ſtudia cõuertit. Verùm ipſummet de eius perigrinationibus loquentem audite: *Ego* inquit, *in ſingulâ auium noſtrarum hiſtoriâ, vt tam interna, quàm externa nota redderem, & eorum oculatus teſtis eſſem, ingentem pecuniæ vim, cùm in variis peregrinationibus in diuerſas Orbis regiones, auium potiſſimùm, ac aliarum etiam rerum naturalium cauſa ſuſceptis;*

ceptis;tum in ijſdem deſcribendis, ac in tabulis ex pyro confectis,delineandis,exſculpendiſque, atque tandem excudendis conſumpſi.Ideoq́; pictori in ea arte vnico,triginta, & amplius annos,annuum aureorum ducentorũ ſtipendium perſolui. Delineatores celeberrimos, Laurentiũ Benninum Florentinum, & Cornelium Suintum Francofurtenſem,meo are conduxi : Nec non Iacobi Ligotij ,ſereniſſimi Etruriæ Ducis, Pictoris eximij,operâ in hac eadem Prouinciâ Florentiæ quandoq́; vſus ſum, vt quo maximo fieri poſſit artificio aues ea deſignarentur. Tandem ſculptorem habui,& adhuc habeo inſignem Chriſtophorum Coriolanum Norimbergenſem, atq́; eius nepotem,qui eas adeo venuſtè , adeoq́; eleganter exſculpſerunt,vt non in ligno,ſed in are facta videantur. Verùm ſagacitatis exquiſitæ vir,qui nobis tot animalium formas incognitas ante oculos obiecit , naturæ veluti nouercantis iniuriâ oculis captus eſt,& qui perſpicacis ingenij luce cauſas rerum abditas illuſtraret,in triſti cœcitatis caligine ſupremam vitæ partem exegit.

LVDO-

LVDOVICVS MERCATVS.

LVDOVICVS MERCATVS primùm in Academiâ Valleſoletanâ Medicinæ Profeſſor & mox Archiatros electus, Philippi II. Regis Hiſpaniarum valetudinem viginti per annos feliciſſimè rexit. Ob id omnium ordinum hominibus æquè carus extitit, quibus etiam artis ſuæ fidem exemplo comprobabat, quùm ſenſus integros, & perpetuam mentis conſtantiam in ſupremâ ſenectute conſeruarit. Porro annum agens ætatis ſextum & octogeſimum, impeditis calculo veſicæ meatibus, ſuppreſſaq; decem & octo dies vrinâ, miſerandum in modum iacuit, mortemq; per acerbiſſimos tandem cruciatus obiuit.

THOMAS FIENVS.

THOMAS FIENVS Antuerpiæ natus eſt anno CIↃ IↃLXVII. ipſo die, quem Saluator noſter abſoluto per mortem ſuam redemptionis myſterio ſacrauit. Patrem habuit

buit Ioannem Fienum non vulgaris doctrinæ Medicum, cuius extat *Commentarius de flatibus humanum corpus infeſtantibus*. Medicinæ operam in Italiâ potiſſimùm dedit: vbi Præceptores audiuit ad æmulationem vetuſtatis eruditos, Hieronymum Mercurialem, Vlyſſem Aldrouandum, Ioannem Coſteum, Iulium Cæſarem Arantum, & in Philoſophicis, Fredericum Pendaſium. Anno CIↃ IↃ XCIII. primariam in Academiâ Louanienſi profeſſionem adeptus eſt; in qua iam annum vigeſimum quartum verſatur. Interim Sereniſſimus Dux Bauariæ Maximilianus, ad officia medici interioris euocauit. Hinc eum, vix anno transacto, amor Patriæ reuocauit. Poſteà Sereniſſimi Archiducis Alberti Principis noſtri factus eſt medicus Cubicularius. Sed eam quoque deſeruit conditionem diffiſus valetudini ſuæ, quâ tum non proſperâ ſatis vtebatur. Duobus abhinc annis Bononienſes propoſito mille aureorum honorario ad principem medicinæ profeſſionem inuitarunt. Verùm ſereniſſimus Archidux Albertus eum in Academia ſua, non deteriori conditione retinuit. Euulgauit librum *de Cauterius*,

ſteriis, & alterum, de *viribus imaginationis.* Habet prætereà in omnes Medicinæ partes incredibili ſtudio lucubratas commentationes, & velut vniuerſæ artis Oceanum, quæ magno rei Medicæ detrimento ſupprimi ſtudioſis omnibus dolendum eſt.

OPERIS

Digitized by Google

OPERIS CONCLVSIO AD EXCELLENTISSIMVM VIRVM, FRANCISCVM PAZ.

TV *mihi principium, Tu finis, Maxime* PAZI,
PAZI *Aſclepiadũ decus immortale virorũ:*
Quem primùm aëreas teneris vagitibus auras
Rumpentem blando conſpexit lumine Phœbus;
Excepitq́, ſinu, propriaſq́, fideliter artes,
Queis celeres in fata manus, & ſtamina fuſo
Deproperata leui, ac ſæuas remorère, Sorores,
Edocuit, Belgis placidus; queis vita, ſaluſq́,
PRINCIPIS *incolumis lex eſt ſuprema ſalutis.*
Tu noſtræ Phœbus Patriæ, Sol aureus æui
Tu noſtri, quem ſpectat Iber, quem Belga tuetur;
Nam quoties languet PRINCEPS, *digniſſimus annos*
Viuere Neſtoreos; atri caligine luctus
Circumfuſa ſuos obducit Belgica vultus:
Verùm Pæonio teneros reuocatus in artus
Si vigor auxilio rediit, fugiente ſereſcunt
Lumina triſtitiæ medica ſic arte reductus
Dianam Hippolytus ſpecie lætauit amicâ.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
OMNIVM MEDICORVM
QVI IN HOC OPERE memorantur.

ACTVARIVS 133
Acron 46
Adrianus Iunius 228
Æmylius Macer 92
Æſculapius 13
Ætius 130
Albucaſis 147
Albutius 89
Alexander Benedictus 159
Alexander Maſſaria 247
Alexander Trallianus 132
Alexius 75
Amatus Luſitanus 245
Andreas 56
Andreas Veſalius 195
Andromachus 101
Antonius Caſtor 102
Antonius Cermiſonus 161
Antonius Galatheus 183
Antonius Muſa 88
Apollo 12
Apollodorus 48
Apollonius Mus 56
Arabes medici 138
Archigenes 96
Archagatus 87
Aretæus 103
Ariſtogenes 49
Ariſtoteles 61
Arnaldus Villanouanus 152
Artorius 90
Aruntius 89
Aſclepiades 78
Athenæus 102
Auenzoar 141

Auerrhoes 140
Auicenna 136

B.

Bacchus 14
Baſsianus Landus 188
Bernardus Paternus 210
Bernardinus Gordonius 165
Bertrucius 163

C.

Caius Valgius 87
Carpitanus 89
Caſsius 79
Cælius Aurelianus 120
Cleombrotus 56
Cleophantus 76
Clidemus 74
Charicles 94
Charmis 100
Chiron 12
Chryſippus 50
Conſtantinus 161
Cornelius Celſus 91
Cornelius Gemma 237
Crateuas 36
Critias 100
Critobulus 56
Cteſias 36

D.

Democedes 21
Democritus 37
Dinus de Carbo 159
Diocles Caryſtius 40
Dioſcorides 85
Dracon 35

E.

Empedocles 44
Eraſiſtratus 70
Euax 102
Eudamus 48
Eudemus 95
Eudemus Chius 75
Eudemus Pharmacopola 75
Euphorbus 88

F.

Franciſcus Valleſius 206

G.

Gabriel Fallopius 206
Galenus 112

Gemma

Gemma Friſius 237
Gentilis Fulginas 150
Guilielmus Rondeletius 220
Guilhelmus Copus 185

H.

Hieronymus Capiuaccius 214
Hieronymus Mercurialis 211
Hieremias Triuerius 201
Honoratus Caſtellanus 224
Hugo Senenſis 156
Haliabas 145
Hercules Saxonia 248
Herophilus 54
Hippocrates 24
Horatius Augenius 245

I.

Ioannes Areulanus 163
Ioannes Argenterius 215
Ioannes Sermoneta 165
Ioannes Tornamira 165
Io. Guinterius Andernacus 239
Io. Thomas Minadous 249
Io. Goropius Becanus 233
Io. Baptiſta Montanus 185
Ioannes Fernelius 192
Io. de S. Amando 167
Ioannes Manardus 180
Ioannes Ruellius 182
Ioannes Philippus Ingraſſias 208
Iſaac 144
Iacobus Carpenſis 168
Iacobus de Partibus 150
Iacobus Forliuienſis 157

L.

Laurentius Ioubertus 225
Leonardus Fuchſius 204
Lenus Lemnius 227
Lupus 103
Ludouicus Mercatus 253
Laurentius Laurentianus 173

M.

Machaon 15
Magnus 125
Marcellus 131
Marcellus Virgilius 184
Marcus Nenianus 229
M. Antonius Turrianus 174
Marcus Cato 87
Marſilius 161
Marſilius Fucinus 171
Matthæus Siluaticus 158
Matthæus de Gradi 157

Medicina Philoſophiæ ſoror 20
Melampus 23
Melchior Guilandinus 244
Menecrates 53
Meſue 143

N.

Nebrus 25
Nicander 76
Nicias 47
Nicias Byrrhi medicus 48
Nicolaus Bieſius 230
Nicolaus Leonicenus 178
Nicolaus Myrepſus 134
Nicolus 160
Nicomachus Machaonis filius 18

O

Oribaſius 124

P.

Pæon 15
Paulus 129
Paulus Craſſus 241
Pauſanias 43

Peri-

Periander 78
Petron 41
Petronius 56
Petrus Hiſpanus 146
Petrus Leonius 169
Philippus Acarnan 57
Philippus Cous 57
Philiſtion 43
Plinius 105
Podalirius 15
Pompeius Leneus 87
Praxagoras 42

Q

Quintus Serenus 121

R

Haſes 142
Rembertus Dodonæus 230
Rufus Epheſius 104
Rubrius 89

S

Sauanorola 164
Scribonius Largus 119
Serapis 12
Serapion 75
Soranus 112
Symphorianus Campegius 167

T.

Thadæus 158
Themiſon 83
Theon 104
Theophraſtus 72
Theſſalus Hippocratis filius 35
Theſſalus 97
Thomas de Garbo 160
Thomas Fienus 253
Thomas Linacrus 177
Thraſias 74
Truſianus 156

V.

Valeſcus de Taranta 166
Vectius valens 93
Vidus Vidius 189
Victor Trincauellus 190

X

Xenophon 93

Z.

Zeno 56
Zeno 122

APPRO-

APPROBATIO

ILLVSTRIVM Medicorum vitas ſtilo & digno memoria ſeculorum elogio celebratas à V. C. Petro Caſtellano Græcarum litterarum in Louanienſi Academia Profeſſore, cum voluptate recenſui, & ſimul vt luce donarentur cenſui. Quippe cùm ars Medica à Deo creata, vna etiam ſit, vt dixit veterum quidam; quæ Imperatoribus imperet, non minimo loco ſemper habiti illius Authores, Principes, Doctores, vt quos etiam honorari Æterna ſapientia decreuit, & voluit. Datum Antuerpiæ in Seminario Epiſcopali die xv. Nouemb. M. D. C. XVII.

LAVRENTIVS BEYERLINCK
Archipresbyter, Bibliothecarius, ac librorum Cenſor Antuerpiæ.

ERRATA

ERRATA.

IN præfatione pag. 10. linea 9. verſum ita l. περὶ μὲν ἂν μη-δὲν Ρεοντῶ, &c. pag. 11. lin. 15. l. πεφοιτηκέναι. pag. 18. lin. 3. l. huic. pag. 16 linea 12. l. ἤπια. pa. 18. lin. 3. deeſt, *Brachio*. linea 20. l. hinc. linea 24. l. Gnidon. p. 19. linea 8. l. Soroaſtrũ pa. 28. linea 21. l. Gnidiorum. p. 29. lin. 26. l. prohibuit. pag. 32. lin. 20. l. Δὸς. linea 22. lege ἠνίας. pa. 42. lin. 8. l. Philotimum. pa. 46. lin. 12. l. Empiricen. lin. 24. l. Ἄκρων'. lin. 25. l. τετρείδος. pa. 47. linea 21. l. ἐξοχα. l. 24. lege, nouem. pa. 64. lin 23. l. Ariſtoteleium p. 66. lin. 13. deeſt. *in*. Pa. 67. lin. 2. lege quâ lin. 15. l. præroderetur. pa. 70. linea 1. l. noſtri. p. 72. lin. 16. l. corpore, pa. 82. lin. 21. l. tentarit. pa. 129. lin. 4. leg. ἀΐδην.

Plura obiter hæc percurrentem ſine dubio effugerunt, quibus candidus lector veniam dabit, & ſuo marte corriget.

FINIS.

Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google